L.

Q. D. T. O. M. F. F. Q. E. J.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS De

ÆTATE, ejusque Jure & Privilegiis,

Quam

Ex Decreto & Auctoritate

Magnifici atque Nobilisſimi JCtorum Ordinis in Inclytâ SALANA,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SUB MODERAMINE VIRI

Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Conſultiſſimi atque Excellentiſſimi

DN. JOHANN. VOLK. Bechmann/

JCti & Anteceſſoris longè celeberrimi, Conſiliarii Saxonici, Facultatis Juridicæ, Dicaſterii Provincialis & Scabinatûs Aſſeſſoris graviſſimi; Patroni & Præceptoris ſui ætatem devenerandi,

Pro

Summis in utroque Jure honoribus Doctoralibus, Privilegiis & immunitatibus, ritè ac legitimè capeſſendis,

Publicæ eruditorum diſquiſitioni exponit

TOBIAS EMANUEL ADAMI,

Weimariâ Thuring.

In Auditorio JCtorum ad d. Septemb.

Horis ante- & pomeridianis,

JENÆ

Prelô NISIANÔ, ANNO cIↃ IↃ cLXI.

310

I. N. D. N. J. C.

AMpliſſima eſt *Ætatis* ſignificatio. Nam per ſimilitudinem, aut ſi mavis καταχρηστικώτερον ad multas alias res tranſlata eſt, ſicut hoc latè & eruditè oſtendit *Petrus Faber Semeſtr. lib.* 1. *c.* 9. *per totum*, ubi varia ex Græcis & Latinis boni nominis Autoribus affert exempla. Nos brevitati ſtudentes illa ſeponimus, *ætatem* in pręſenti ſaltim conſideraturi, quatenus propriè prædicatur de homine. Et cum de eâ Imp. noſter Juſtinianus multa egregiè conſtituerit, viſum mihi fuit loco inauguralis D. quædam de eâ proponere. *Amice Lector*, ſi *Ætatem* prout decet, ſolidè non evolvam, ſed humani quid patiar, veniam ab *ætate* Prætoris autoritate nixus præſtolor. *Ætati* meæ imputa, & ignoſce.

TH. I.

ANtequam ad ipſam materiam ætatis accedamus, partûs humani diverſam conditionem recenſendam operæ pretium ducimus; cùm multa apud JCtos circa hanc ſe exhibeant; cùm propter legitimationem; tùm propter alios juris effectus. Nam non quivis partus cum naſcitur pro legitimo habetur, præſertim ſi à prudentioribus definitum numerum vel

prorſus non attigit, vel nimis longè exceſſit. Hinc fit ut dividatur iſte partus in naturalem ſeu legitimum, vel non naturalem, ſeu illegitimum. Hic eſt qui ante ſeptimum menſem prodiit, quod ſecundum naturam fieri non poteſt *Ariſt. 7. hiſtor. animal c. 4.* Ille legitimus ſc. qui omnia ad debitam ſui perfectionem habens, die 182. naſcitur *l. inteſtato. 3. §. fin. ff. de ſuis & legit. hered.* quod experientiſſimus Hippocrates primùm, cùm aliàs maximè controverteretur, terminavit *Dn. Hahn. in obſerv. ad Weſenb. ff. de ſtat. hom.* Hæc verò computatio ita facienda eſt, ut 30. non 31. dies menſi ſingulo tribuantur, ne partus ἐξάμηνος fiat *Andreas Rauchbar. p. 2. q. 24.* Nam ſufficit ſeptimum menſem uno vel duobus diebus eſſe inchoatum ut habeatur pro legitimô. Quod etiam viſum eſt Accurſio *l. 12. ff. de ſtat. hom. Dn. Hahn. d. l.* Ita in Dicaſterio Wittebergenſi Anno 1567. 15. Maji referente Andreâ Rauchb. *part. 2. q. 24. n. 5.* reſponſum fuit. Imò & ab univerſâ Practicorum ſcholâ obſervari tradit. *Magnif. Dn. Ordin. Dn. D. Richter. deciſ. 59. num. 23.* ejusque *Dn. Gener. Nobiliſſ. Dn. D. Struv. in Syntagm. Jurisprud. exercit. 3. thſe. 4. Prof.. Publ. famigeratiſſimi, Præceptores & Patroni ætatèm devenerandi.* Nec facit quod Paulus *lib. ſentent. tit. 9.* plenum ſeptenarium requirat. hoc enim non intelligendum eſt, quaſi per iſtud verbum, juſtum ab ipſo complementum requiratur, ſed quod dicatur *plenum*, fit propter ſeptenarii numeri perfectionem myſticam, quam Pythagoras ſemper urſit. *Macrob. lib. 1. c. 6. in ſom. ſcip.*

Th. II. Major ferè in octimeſtri occurrit ſcrupulus, An ille legitimus & vitalis ſit; quod hic partus variis caſibus exponatur, quare Gellius *lib. 3. c. 16.* nunquam partum

tum cõmenſe naſci: Cujacius *in recitat. ad lib. 4. ſentent. Paul. t. 9.* nunquam vivere, dicit: quem tamen D. Hahn. *d. l.* (quod diutius ibi commoretur quam ſeptimeſtris) vegetiorem calorẽ habere contra Alphonſum Caranzã aſſerit, iſtosque morbos, ex accidenti obvenire partui, ut firmiori moli ſtatuit, quos ſeptimeſtris tenerior & imbecillior non perſentiſcit. Hinc etiam, ſi fiat, ut octavo menſe naſcatur partus, quem ad modum factum ex *Paul. Zacchia & aliis* conſtat, iſte pro legitimo admittitur *Nob. Dn. D. Struv. in exerc. 3. th. 4. Syntag. Jurispr. Dn. Carpz. p. 4. c. 27. defin. 14.* Quod etiam obtinet in nonimeſtri & decimeſtri. *l. quidam. C. de poſth. hered. inſt. l. inteſtato. §. 11. ff. de ſuis & legit. hered.* De undecimeſtri Juſtinian. Imp. *N. 39.* videtur dubitaſſe; quod partus hic, opus illegitimæ concupiſcentiæ, & mirabile & impiiſſimum, à defuncto nullo modo prodire potuerit, cum nimis ferum ſit, ut inde mulierem ſcortatam fuiſſe præſumatur *Alciat. parad. 3. c. 7.* ideoque pœnam ſtupri huic infligit, quam patitur intra annum luctus nupta viro *Nov. 22.* Sed Cujacius in *expoſ. N. 39.* ad finem menſis undecimi Juſtiniani verba refert, & ſub initia hujus menſis partum legitimum fieri adſerit. Et hoc obſervatum Witteberga recenſet *Joach. Beuſt. tract. de matrim. c. 36. part. 1.* Videſis inter alios *Dom. Arum. lib. 2. deciſ. & ſent. deciſ. 14. tit. de pariend. temp. Andr. Rauchbar. d. p. 2. q. 24. n. 48.* qui exactè de hoc partu ſcripſerunt. Qui verò ultra hos dictos menſes excurrit, titulo legitimi partus venire haut poteſt: quia ſemper mulier cum alio conſveviſſe præſumitur. *Menoch. q. arb. 80 n. 4.* nec raritas exemplorum nos commovere debet, quia potius notanda quam in conſequentiam trahenda eſt, *Umm. diſſ. 15. proc. jud. n. 39.* Patet itaque tam

312

ſeptimo, quam octavo, nono, decimo & ſub initia undecimi menſis legitimum prodire poſſe partum, qui cum natus eſt, homo dicitur, ſuamque auſpicatur ætatem.

Th. III. Primum itaque locum ſibi vindicat Infantia ab effectu, impotentia ſc. fandi *Paul. Zacch. q. medico leg. 1.* deſcribiturque prima ætas hominum quæ terminatur ſeptimo anno tam in maſculo quam in fœmina *arg. l. 18. ſi infanti, C. de jur. delib. l. 14. in ſponſ. ff. de ſponſ. Conſtit. Leon. 109. Gloſſ. ad Decret. c. 9. n. 50. de Reſcript. in 6.* item *c. 5. diſt. 28. n. 76. Gilhauſ. arb. jud. crim. c. 2. t. 34. n. 2.* nam in hujus definitione diſcrimen nullum eſt in ſexu. *Cuj. ad l. 5. qui teſt. fac. poſſ. lit. E.* Nec obſtat quod citius fœmina pubeſcat. *l. 3. C. quando tut. eſſ. deſin. l. 5. ff. qui teſt. fac.* quoniam hoc propter humorum abundantiam & naturæ infirmatem fit, ut citius pubeſcat. *Cuj. in recitat. ad decret. X. de deſponſ. impub.* propter quam tamen infantia etiam citius non finitur. Quippe cum alias imbecillioris judicii ſint, quam ut ſuis rebus bene præeſſe poſſint. Ideoque olim in perpetuâ curâ erant, quemadmodum & nunc certo reſpectu fit in Jure Saxon. *Weſenb. in Iſag. ad Inſt. t. quib. mod. tut. fin.* Quam curam etiam tutelam vocatam, ſed prorſus alienam à pupillari fuiſſe, legimus *apud Anton. Cont. lib. 2. ſubſ. lect. c. 13. Jacobum Ravard. lib. variar. c. 10. & lib. 2. c. 10. Vinn. in comm. l. t. quib. mod. tut. fin.* quod autoritatem ſuam tutor tantum interponere in hâc debuit, negotia non geſſit *Ulpian. in fin t. 11.* At uti antiqua, ita uſu temporum, & conſtitutione Imperat. abrogata eſt *arg. l. 3. C. de legit. tut.* ſed ad ſcopum.

Th. IV. Conſideratur itaque hæc vel in ſenſu Phyſico abſolutè, & ſimpliciter per abſtractionem, & ut in ſcholis loquuntur actu ſignato, quatenus ratio formalis

quæ

quæ eſt temperamentorum mutatio conſideratur non habito reſpectu ad regulam morum; vel Ethico id eſt concretivè & in actu exercito quatenus rationi formali termini ætati à Philoſophis deſignati ſubjacent, & actiones humanas recipiunt, quam acceptionem *Valeſ. contr. verſ. med. & Philoſ. l. 1. c. 8. n. 42. grammaticam* appellat, quod definitum annorum numerum ſequamur, ex eôque ætates æſtimemus! Et tali ſenſu intelligimus infantem th. 2. quando dicimus fari non poſſe, non quod uſus & facultas naturalis loquendi ipſi deſit; citius enim & quidem annô ſecundô loqui incipit, ſed fari poſſe non creditur, quia intellectum non habet *Paul. de Caſtro p. 3. c. 41. Vinn. in Com. l. de inutil. ſtip.* videtur enim *(ut hoc obiter addam)* differentia eſſe inter fari & loqui, ut differentiam hanc inter alias notavit *Jacob. Bongarſ. Gall. Regis in Daniam & Germaniam quondam exlegatus*, quia famur cum aliquid facundè & cum judicio dicimus, loquimur naturâ. Tres autem reperimus in Jure gradus, quorum primus à pannis & involucris, (quæ cunabula dicuntur, *Turnebus adverſ. l. 9. c. 10.*) incipit, *(ut ſuperius dixi)* protenditurque usque ad ſeptimum annum, unde Græci, (licet quoddam adhuc ſpatium perficiendum reſtet) ἑπταετῆ vertunt *Gothofred. in not. ad l. 70. ff. de V. O. lit. S. Cuj. d. t. lit. C.* Secundus quidem à ſeptimo anno incipit, diciturque infantiæ proximus, quousque vero extendi debeat, ut pubertati proximus (qui dicitur) incipiat, inter JCtos expeditum non eſt. Varii variè ſentiunt & tot penitus ſunt opiniones, quot qui mentionem hujus ætatis fecêre. Eguinarius Baro *in comment. ad τὰ πρῶτα π. l. 13. ff. de D. M.* Judici id æſtimandum tribuit, quod lege tempus non definiatur, cujus ſententiæ multos JCtorum adſtipulantes ad invenies apud Arnol. Vinn.

Vinn. *comm. l. de inutil. ſtip. n. 2.* Ubi & reliquos diſſentientes videre licet, quos exſcribere & hûc transferre non lubet. Baronis ſententiam probamus. Sciendum igitur eſt quod jura circa hunc primum gradum quædam conſtituant permiſſivè præter naturam: quædam ſecundum naturam, quædam prohibitivè expreſsè; quædam tacitè.

Th. V. Quæ permiſſivè præter naturam conſtituunt, ſunt; quando in favorem infantilis ætatis jura quid admittunt, perſonam ejus interim quaſi ſuſtinente humano genere. *Hugo Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 3. n. 6.* quod ſtricta juris ratio non permitteret veluti 1. in Poſſeſſione; ubi infantis judicium à ſubtilitate juris eximitur, repleturque autoritate tutoris *l. quamvis. 32.* §. *ult. de A. vel A. P. & l. pupillus. 189. ff. de R. J.* Non quod tutoris autoritas quæ interponitur, judiciũ pupilli obfirmet, efficiatque ut ullo modo obligetur §. *9. I. de inut. ſtip.* eâdem enim, quâ antea laborat infirmitate; ſed quod obſervatâ juris ſolemnitate, fideli conſilio & operâ tutoris adminiculetur, & ſi quid malè geſtum ſit, pupillo poſſit eſſe conſultum *Don. 12. c. 22.* quod eô abſente haut procederet *Wiſſ. in diſp. ad* ϖ. *19. n. 24. de A. v. A. P. Nobiliſſ. Dn. D. Struv. exerc. 6. ff. de pact. n. 39.* Nec obſtat reſponſum Imperat. Decii *l. 3. C. de A. v. R. P.* Exceptio enim eſt à Regula. *Duar. d. t. de A. vel R. P.* quod frequens eſſe juri noſtro reperimus *l. in toto 80. ff. de R. J.* 2. In hæreditatis aditione; quod verba aditionis fari neſcit *Cuj. ad Affric, 4. f. 427.* ſed ei ſuccurritur *l. ſi infanti. C. de jure delib.* (ne dum nimiâ ſubtilitate utimur circa res pupillares, ipſa ſubtilitas ad perniciem eorum revertatur *l. ſancimus. 7. C. ad S. C. Trebell.*) ut per tutorem adire poſſit *Bart. in d. ſi in-*

ſanti. & quod plus eſt etiam per honorarium *l. 49. de A. vel A. H.* cum & ad hunc periculum ſpectet, ut tutelæ judicio jacturam, ſi qua ulla fiat, pupillus conſequatur *l quod ſi 14. ff. de ſolut.* nec nobis negotium facit *l. etſi 4. de aut & conſ. tut.* cum habeamus ex Gloſſ. & Azon. ei quod reſponderi poſſit, interdictam nempe in hâc lege tutori adminiſtrationem quod in l. 49. ſecus eſt, & in hâc explicatione juvamur per ultima verba: *item ſi eô auctore emam, qui à tutelâ remotus fuerit.* Interpretes variè ad hanc legem reſpondentes vide ſis apud *D. Wiſſ. Diſput. 51. n. 12. t. de aut. & conſ. tut.* Circa hanc poſſeſſionem, ſi quid ab infante corruptum & deminutum fuerit, caſui adſcribitur *l. 61. ff. de adminiſt. & peric. tut.* nec reſtituet *l. 60. ff. de R. V.* cum dolus & culpa in iſto non inveniatur *arg. l. 111. ff. de R. J. l. hæredibus 13. de D. M. Cuj ad l. hæredibus d. t. Anton. Perez. n. 10. C. ad L. Aquil.* Nec obſtat quod actione effuſi aut dejecti Parens ejus teneatur *§. 2. J. de Obl. quæ qs. ex del. naſc.* ſi quicquam dejecerit, unde prætereunti nocitum fuerit. Cum fundamentum iſtius actionis conſiſtat in omiſſione debitæ curæ, quam paterfam. præſtare debet, ut quando teneatur, non propter filium, ſed propter propriam culpam, ceu nec minus, ſi quod ab hoſpite effuſum fuerit, tenetur *l. 1. §. 9. ff. de hi qui effud. vel. dejec.* 3. In ſtipulatione prætoriâ: Rem pupilli ſalvam fore *l. ſi pupillus 2. l. ſervum 6. ff. R. P. S. F.* ubi ex æquitate utilem actionem per ſervum pupillus conſequitur *l. non quaſi 4. ff. R. P. S. F.* cum aliàs noſtra quod nihil refert percontari deſinamus. *§. alteri 18. J de inutil. ſtip. l. 38. §. alteri de V. O.* Multa enim præter naturam jura humana conſtituere poſſunt, quod tamen contra naturam ipſis integrum non eſt. *Hug. Grot. 2 de J. B. & P. c. 3. n. 6.*

314

Th. VI. Et hactenus de his quæ præter naturam fiunt: ſequuntur jam quæ ſecundum naturam fieri ſolent, ex quibus ſunt. 1. Si ſc. infantem adoptari jura permittunt *l. 42. ff. de adopt.* quia ſatis habent quod non diſſentiat qui patris judicio datur in adoptionem *l. 5. ff. eod.* ſufficienter enim conſuli per patrem filio ſemper præſumitur *Anton. Perez. n. 2. C. de adopt.* 2. Si manumitti permittunt *l. juris ratio. 25. ff. de manumiſſ.* etſi adhuc pars matris ſint, hominesque fieri ſperentur *l. 14. C. de fideicom. libert.* perinde enim, quoties de eorum commodo agitur, habentur, ac ſi in rebus humanis exiſtant. *l. qui in 26. ff. de Stat. hom. l. cum quidam 30. §. 1. ff. de A. vel O. H.* quamvis effectus differri debeat in tempus nativitatis, donec conſtet an ſit partus humanus, an verò monſtrum quod pro homine non habetur *l. non ſunt 14. ff. de Stat. hom.* 3. Si contra infantem non defenſum mitti in bonorum poſſeſſionem ex primo decreto permittunt, quamvis fraudationis cauſa non latitet *l. 52. ff. de R. J.* ut ex inde edicto locus eſſe poſſit, quia latere, eſt cum tractu aliquo latere *l. fulcinius 7. §. 8. ff. quib. ex cauſ. in poſſ. eat.* At verò cum præſens non defenſus habeatur pro abſente *l. 5. ff. de rebus aut jud. poſſ.* miſſio procedit. 4. Si propter cauſam in ordinem adſcribi permittunt *l. 1. C. de muneribus & honor. non contin. inter pat. & fil. lib. 10. t. 40.* Quæ cauſa egregia indoles eſt *Cujac. in comment. C. d. t.* cum ſecundum Plinium ab optimâ indole annorum numerus non exigatur, *Perez. n. 5. ſupra d. t.* quia virtutis, quam ætatis curſus celerior eſt: *Cic. in Philpp. 5.*

Th. VII. Nunc de iſtis in quibus prohibitivè jura quid decernunt: & fieri invenimus prohibendo quid

vel

vel expreſsè vel tacitè. Quæ expreſsè prohibentur ſunt quando non licet 1. Infantes in jus vocare *l. 4. ff. de in jus voc. Magnif. Dn. D. Georg Fransk. reſol. 16. quæſt. 2. n. 52:* quod olim privatâ autoritate, recepto crudelitatis more à Græcis ut Rittersh. *ad LL. 12. tab. claſſ. 3. c. 1.* adſerit, per raptionem obtorto, ut ajunt collo fiebat, ſed hodiè ſecundum jus novum petente actore, jubetur autoritate judicis, abrogato tamen quod antiquitatem oleret, in loco judicii ſuſcipiendæ litis gratiâ ad certum diem reus comparére. *prælaud. Nobil. Dn. D. Struv. ſyntag. jurisp. exerc. 5. de in jus voc. th. 8.* Et hæc vocatio vel citatio German. dicitur Ladung oder Vorladung & prorſus aliena eſt à veteri illâ *Cuj. 10. ob. 10. lit. H.* quamvis confuſim forum his vocabulis uti cœperit. *prælaud. Mag. Dn. D. Frantz. in com. ad ff. de in jus voc. n. 20.* Quod verò infans citari non poſſit, exinde eſt: quod citatus præſens debeat eſſe, non tàm corpore quàm animo, intelligendi ſc. facultate, cedat an diſceptet *Socin. de citat. art. 5. q. 16. n. 22. & art. 31. n. 5.* Marant. *p. 6. de cit. n. 18. l. 1. ff. de Eden.* 2. Cum infantibus paciſci; quia obligationis conſenſus deeſt. *Hein. Zaſ. in com. ad ff. de pact. n. 10.* & fruſtra eſſet actio cum ejus finem non conſequeremur. 3. Cum infantibus tranſigere, quia tranſigunt quibus ſana mens eſt *l. ſanum. 27. C. de transact.* infantibus verò nec ſana, nec ferè ulla videtur eſſe, cum per ætatem nequicquam ſcire, *Cujac. ad l. 4. de uſurp. & uſuc.* nec conſentire poſſint *Paul de Caſtro p. 2. conſil. 41. n. 1.* 4. Pœnâ capitali afficere infantes *l. infans 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar. l. penult. ff. de parricid. Gilhauſ. arbor jud. crim. c. 2. t. 12. de Homicid. n. 52.* cum non ad opera tantum, ſed etiam ad voluntatem reſpiciendum ſit. Lancell. *J. Jur. Canon. de Homicid.* 5. Ad ordi-

 nem

315

nem Eccleſiaſticum infantem admittere, licet infimum; *Magnif. Dn. D. Ungepaur præceptor quondam longè honoratiſſimus cujusque nunc memoria nobis perpetuò erit ſancta in com. ad Decret. X. de ætat. & qualit. & ordin. præfic.* niſi ut religioni ſe devoveat *c. ult. de tempor. ordin. & qualitat. ordinand. in 6.* 6. Canonicatum ſeu præbendam in cathedrali Eccleſiâ obtinere; *conſ. Trid. ſeſſ. 23. c. 6.* quod tamen ante Concilium Trident. licuiſſe ſcribit Camill. Borell. *deciſ. t. 20. n. 28. c. ex eô de Reſcript. in 6.* 7. Ab infantibus repromisſiones futurarum nuptiarum fieri; *l. 14. ff. de ſponſal.* quia de affectu & animo fiunt, qui nullus in infante creditur *Melch. Jun. quæſt. pol. 25. c. 4. X. de deſponſ. impub.* Ideòque neque de præſenti, neque dè futuro ut canones diſtingvunt c. *ſi inter X. de ſponſ.* ſponſalia contrahere poteſt, cum omnia de jure civili ſint de futuro, nec dentur de præſenti, *l. 1. ff. de ſponſal.* cum iſta ſint verum matrimonium *arg. l. cui 15. in fin. ff. de condit. & demonſt.* quod ſponſalia dici nullô modô demeretur; niſi impropriè & quatenus reſpicitur ad benedictionem & concubitum. *Nobiliſſ. D. D. Strauch. in exerc. Juſtin. diſp. 2. th. 7. confer l. denique 6. & 7. ff. de R. N.* Hujusmodi ſponſalia firma haut erunt, etiamſi parentes pro filiis vel filiabus pepigerint. *Melch. Kling. tr. cauſ. matr. c. 2. n. 10.* Quod quidem in iſtis quæ propter rationem ſtatus fiunt, haud attenditur, itaq; etiam minus felicia fore compertum habemus. *vid. Comina. l. 7. c. 3.* 8. Curatorē infantibus dare ad litem, ut rei vindicatione contra tutorem agere poſſit *l. qui habet 3. §. 2. ff. de tutel.* quia ipſe petere debet *d. l. 3.* infans verò non habet legitimam perſonam ſtandi in judicio.

TH. VIII. Jam ſequuntur iſta quæ tacitè prohi-

bentur, & hæc ſunt, ſi jura nihil quidem de iſtis diſpoſuerunt, ſed facientis judicio ex concluſionibus & principiis eruendum reliquérunt. Qualis eſt arrogatio, quæ expreſsè interdicta haut equidem extat; cum verò qui arrogatur, conſenſui publico, qui rogatus eſt, ſuum etiam conſenſum (unde ad-rogatio dicta eſt) addere debet, *l. 2. ff. de adopt. Caj. inſt. eod. tit.* inque infante intellectus exulet, *l. obligationes 1. §. 13. ff. de O. & A. §. pupill. J. de inutil. ſtip. Maſcard. de prob. conc. 3340. n. 32. vol. 1.* rectè inde non licere arbitrámur. Et eod. modô ſe res habet, quando ex priori quod infans in jus vocari non poſſit, poſterius conſequens, ideò nec repreſſaliari, *Laudenſ. tr. de repreſſ. n. 39. & ſeqq.* aut incarcerari poſſe colligimus, quæ rationis ratio eſt quia contumax non videtur niſi qui cum obedire deberet, jugum excutit *Calv. in Lex. jurid.* Idem eſt ſi quæritur an infans nobilis fieri poſſit, quærentique reſpondeatur, quod heroica facta nobilitati faciant, quæ eô tempore in infante nondum exiſtant, imò nec posſint *Joſ. Nold. de ſtat. nob. c. 3. n. 11.* Hujusque generis plura ſunt, quæ colligi poterunt ubi inſignem quantam aptitudinem ad quid peragendum jura requirunt, quæ aliis cogitanda relinquimus, ad ſecundum gradum infantiæ ſc. proximum, properantes.

Th. IX. In quô tamen prolixi non erimus, quoniam haut majoris pretii eſſe videtur, quam iſte gradus de quô plura monuimus, cum judicium intellectûs à quo voluntas in eligendo dirigi debet admodum tenue ſit *Dn. D. Hahn in obſ. ad Weſenb. d. t. de pact.* Quoniam verò ſe aliquatenus exerat judicium *Vinn. in comm. J. de inut. ſtip. n. 3. col. b* ut intellectum aliqualem habere videatur, *Paul. Zach. quæſt. med. leg. 3. n. 19.* jura in favorem, ſi de com-

316

modo ejus agatur non minus ea quam ſi à pubertati proximo acta ſint, rata haberi volunt §. 9. *J. de inut. ſtip.* Exceptô quod ſe ipſum ne naturaliter quidem, dum alios ſibi civiliter obſtringit, obligat. *l. quod pupillus 41. ff. de cond. indebit. Coraſ. comm. in l. filium quem; C. fam. hercíſ. Nobil. Dn. D. Struv. exerc. 6. t. de pact.* nec obſtat *l. 14. de ſponſ.* alia enim ratio in ſponſalibus eſt, alia in contractibus. *Nobil. Dn. D. Struv. in prælect. ad exerc. d. t.* ſiquidem illa contrariâ voluntate impuberum poterunt diſſolvi, nec ratificantur niſi novo impuberum expreſſo vel tacito conſenſu *c. unic. in pr. de ſponſ. impub. in 6.* hi à parte impuberum, prorſus non tenent *d. l. quod pupillus* etiamſi nullum habuerint tutorem. *Hillig. ad Donell. enucl. lib. 21. c. 3. lit. D.*

TH. X. Plurima hic quæ in priori gradu dicta ſunt, in hoc ſecundo iterum repetenda eſſent; at ne ex oberratione ejusdem, quod ajunt, chordæ tædium lectori excitetur, manum admovebimus tertio gradui, qui etiam pars infantiæ eſt, proximusque pubertati dicitur; quod deſtinatum terminum qui in maſculis 14. in fœminis verò 12. annus eſt, *t. J. quib. mod. tut. fin.* nondum attigit. Qui terminus quoniam non ex conſtitutione hominum prudentum, ſed naturâ oritur *Don. c. 3. c. 13.* Caſſianis & Proculejanis maximam crucem fecit *Ulp. in fr. t. 11. de tut.* ita ut hi annos, illi habitudinem corporis requirerent. Quam diſſenſionem tanquam in re minus pudicâ verſantem, & uſu jam olim ſublatam, Juſtinianus conſtitutione aliquâ, quod & adhuc quidam Caſſianizantes eam revocari vellent *Cod. quando tut. eſſe deſin.* ſuſtulit. *Don. cit. loc.* Quamvis dubium adhuc videatur Arnold. Vinn. *J. quib. mod. tut. fin.* an unquam Romani conſuetu-

ſuetudinem ejusmodi rei turpis inſpiciendæ habuerint, quod iſtud quod à Quintiliano *in declam. 279.* dicitur, confictum tantum ſit in ſcholaſticâ exercitatione, ex malè intellecto corporis habitu.

Th. XI. Viſis iis qui impuberes ſint, etiam ea quæ ipſis ratione juris & ætatis vel indulta vel negata ſunt videbimus, inter quæ primas obtinet, quod ſi cōſulturi ſint ſuæ utilitati ſine tutorum autoritate omnes rectè ſibi obligent *l. 13. §. 29. ff. de act. empt. & vend. Dn. D. Ludvvell. exercit. Juſt. diſp. 3. th. 7.* meliorem enim ſuam facere conditionem *l. 1. C. de aut. præſt.* deteriorem non poſſunt. Ideò juris etiã favor, velut qui in ſecundo infantiæ gradu ſunt prorſus non obligari concedit, ita hos tantum naturali modò facit adſtringi, claudicareque contractum. Non quod revera non ſubſit obligatio, ſed quod in gratiam horum propter debiliorem adhuc conſenſum, obligationi vis omnis, quæ nocere poſſit, detracta ſit.

Th. XII. Debet ergò ſibi imputare, cui adſpectus ætatem præbet *l. qui cum. 19. ff. de R. J.* quod contraxerit, quidpe damnum eſt ex propriâ culpâ *l. 203. ff. de R. J.* Et ſic fruſtra etiam in morâ talis impubes conſtituitur; quia mora ex obligatione æſtimatur, obligatio verò à parte impuberis claudicat propter deminutionem rerum ſuarum quæ ipſi uti in ſuperioribus diximus conceſſa non eſt *l. 9. in pr. ff. de autor. tutor. l. pupillo. 15. ff. de ſolut.* 2. Fruſtrà conſtituit cum ead. obligationis ratio obſtet *l. 1. §. 2. ff. de conſt. pec. l. 1. de Novat.* 3. fruſtrà in arbitrum compromittit, pœna enim exigi non poteſt *l. 35. ff. de Recept. Zoeſ. n. 5. d. t.* 4. fruſtrà pollicitatur, cum nihil alienare poſſit, quia omnia quæ jure ejus ſunt non poſſidet *Cujac. ad Affrican. 4. f. 427.* Item *Auguſtin. 13. de Trinit.*

-nit. Triplici tamen modo in jure eum obligari civiliter invenimus 1. in actione ex re ortum trahente. *l. 1. ff. de aut. & conſ. tut.* 2. Lucro, *l. 66. in fin. de ſolution.* 3. Dolo; *l. 1. §. 15. ff. Depoſ.* de quô plenius & planius loquentem vid. Nob. Dn. D. Struv. *Syntagm. Jurisprud. Exerc. 6. th. 39. de pact.*

Th. XIII. Attamen propter dolum illum (niſi maximus ſit ut infra demonſtrabitur) ſi capitale quid impubes commiſerit, pœnâ corporis afflictivâ non afficietur, quoniam ejus ætati quicquam dandũ eſt *l. 1. §. 32. ad SCt. Syllan.* unde nec capite, nec manu truncari, *Gail. 2. o. 110. n. 32.* nec torqueri poteſt *Clar. in prax. crim. q. 64. num. 21.* cum habena ejusdem teneritati carnium & ſpirituum ſufficiat *l. 1. §. 33. ff. ad SCt. Syllan.* Quod tamen exceptionem in aliquibus patitur veluti crimine læſæ Majeſtatis, quod propter atrocitatem ſuam in tantum punitum olim fuit, ita ut non ſolum criminis complices, morte & ultimô ſupliciô afficerentur, ſed etiam eorundem filii, in quibus eadẽ malitia & paterna delicta metuebantur *l. quisquis. 5. C. ad L. Jul. Maj.* torturâ punirentur *l. de minore. 10. l. ex libero 15. ff. de Quæſt.* Et hoc etiam obtinebat in ſervo impubere, qui ad pedes Domini cubans cædem ejus cum fieret, clamando non prodiderat. ratio quod ſilentio auxiliũ præſtitiſſe credebatur *l. excipiuntur 14. ff. ad SCt. Syll.* Suamque malitiam & hoſtilitatem ſecundum vulgatum: *quot ſervi tot hoſtes,* ſatis probandum dederat.

Th. XIV. Quam malitiam ætatem ſupplere fictione juris credi, & ob gravitatẽ delicti veluti in ſacrilegio, incendio, ſtupro violento, ſive ſimplici, ſive cinædico, aliquando pœna ordinariâ ejusmodi legum temeratores & transgreſſores invenimus puniri *d. l. 14. ad SCt. Syll.* præſer-

tim

tim autem Jure Saxon. *D. Bened. Carpz. p. crim. 3. q. 143. n. 48. ordin. crim. art. 164.* obſervatis tamen ſemper tribus requiſitis, ſine quibus hautquaquam ad ſupplicium deveniri poteſt, 1. eſt propinquitas anno decimo quarto, quæ etiam in fœmellis attenditur, *prælaud. Carpz. d. l. n. 11.* propter imbecillitatem muliebrem. 2. atrociſſimum crimen. 3. ſupina malitia.

Th. XV. Sed quid de civilibus cauſis dicendum quæritur. 1. An impubes etiam Judex eſſe poſſit? quod negatur tum quod leges iſtud expreſsè prohibeant *l. 12. ff. de judic. l. 2. §. 1. de R. J. Azo. in ſumm. n. 5. Perez. n. 4. C. eod. Donell. c. 17. c. 24.* tum quod circumſtantiis in decidendo exquiſitè perpendendis impar ſit, damnumque malè judicando in ſe derivet *l. 6. ff. de extraord. cognit. l. ſi quis 5. §. 4. ff. de O. & A. Duar. t. de jud. p. m. 160. b. Bened. Carpz. p. 3. crim. q. 142. n. 14.* 2. Q. An in impuberem ut arbiter ſit, quis poſſit compromittere? quod itidem Lege Juliâ prohibetur, quæ minorem 20. annis ab arbitrio removet: *l. ſed ſi. 9. §. 1. l. cum lege. 41. ff. de Recept.* ratio, quia Judex eſſe non poteſt; ridiculum enim eſſet quem prohibere à judicio, & judicem compromiſſarium admittere *Anton. Auguſt. de LL. in lege Juliâ Judiciariâ.* 3. Q. An teſtimonium ferre poſſit? cui quæſtioni ſatisfactura erit *l. 3. §. 5. ff. de Teſt.* quæ impuberes à teſtimonio arcet, quod teſtationis fides firma, non vacillans debeat eſſe *l. in teſtimoniis. 2. ff. de teſt.* genus verò hoc hominum maximè fallax ſit *l. ex libero. 15 ff. de quæſt.* jus factumq; ignoret, *l. impuberes. 10. ff. de juris & fact. ignor.* Etſi indicium aliquod ſeu præſumtionem faciat. *D. Hahn. in obſ. pract. ad Weſenb. ff. de teſt. Nob. Dn. D. Struv. in Syntagm. Juriſpr. exerc. 28. n. 38. Ill. Umm. proceſſ. jud. diſp. 16. num. 5.*

C 4. Q. An

4. Q. An teſtamentum facere poſſit? quod N. tum quod certus requiratur annorum numerus, quem tranſcendi nefas ſit; *Caſtrenſ. l. 4. C. qui teſt. fac.* tum quod ejus nondum animi judicium ſit §. *1. J. quib. non eſt permiſſ. fac. teſt. Wiſſenb. diſp. 56. th. 14. ff. qui teſt. fac. Cujac. eod. lit. C.* perfectum ſcilic. & quale in tali ellogio requiritur. Per quod etiã motus Imperator Juſtinianus *l. licet. 18. C. de teſt. mil.* facultatem teſtandi ei qui tribunus numerorum (id eſt cohortum *Meurſ. Exerc. crit. part. 2. p. m. 59. Juſt. Lipſ. in not. ad lib. 1. hiſtor. Tacit. p. m. 456.*) factus, propter militiam rectè teſtabatur *Alexan. conſ. 182. Roman. conſ. 306.* adimere voluit, cum in ejusmodi ætate conſtitutus, jura ſapientum hominum pertractare neſciat. *Anton. Perez. n. 6. C. de teſt. mil.* Cujus etiam farinæ eſt quod Leonis Conſtitutione VI. impuberibus monaſterium ingredientibus, & Lege Conſtantini teſtantibus, factum legimus *Cuj. lib. 17. obſ. 36.* Nec in hâc re tutoris autoritas interveniens quicquam effectura eſt. *Wiſſ. 1. qui teſt. fac. poſſ. n. 4.* quæ alias defectum impuberis judicii ſupplet *l. 189. ff. de R. J.* cum propriâ non extraneâ prudentiâ & arbitrio, fieri debet *l. illa 32. ff. de hered. inſtit.* in quô ſuccedentium agnatorum metuuntur detrimenta. *Vinn. §. 1. in comm. ad Inſt. quib. teſt. non eſt perm. fac.* Nec juvabit cauſa favorabilis, quam piam vocant: aut adſcriptio uſitata: *ſi voluntas hæc non valet ut teſtamentum valeat jure codicillorum, aut cujusque ultimæ voluntatis*, etiamſi major factus quæ acta ſunt probaverit, quia quævis alienatio huic ætati legibus interdicta eſt *l. pupillus 11. ff. de A. R. D. l. obligari 9. §. 1. ff. de autor. & conſ. tut. l. pupillo 15. ff. de ſolut. §. 2. J. qui alien. poſſ.* & Regula Catoniana *l. 1. ff. de Reg. Caton.* iſtud quod ab initio non conſtitit,

ex

ex poſtfacto ſubſiſtere; propter vitioſum principium haut permittit *l. ſi filius ſ. 19. ff. qui teſt. fac. poſſ. Perez. n. 2. C eod. Müller. ſemeſtr. l. 5. differ. 59.* quod ſi verò dies ultimus duplicis ſeptenarii cœpit, pro completo habetur *l. 1. ff de manumiſſ.* etiamſi pridiè Kalendar. poſt ſextam noctis horam *l. à qua 5. ff. qui teſtam. fac.* teſtamentum factũ ſit, diesque bisſextus intercesſerit, quoniam in hoc caſu pro uno habetur *l. denique 3.* § *3. ff. de minor. l. 98. de V. S.* quod in edictis aut legibus, quibus tempora in perſonam actionibus quibusdam præſcribuntur *d. l. denique* §. *3.* non obtinet, cum totum his caſibus diem impleri neceſſe ſit. *Cuj. ad l. 5. qui teſt. fac. Vinn. in comm. ad l. de curat.* 5. Q. An impubes rectè matrimonium contrahat? Quod negandum videtur: tum quod Reipub. per ejusmodi immaturas nuptias peſſimè conſulatur, morsque præpropera & frequens exinde ſequatur, veluti Træzenii hoc comperti ſunt, quos immaturas nuptias Oraculum præcavere juſſit. *Arniſæ. doct. pol. c. 3. p. m. 63.* tum quod legibus præſcriptus terminus obſervari debeat, qui coitionem cum maſculi puberes; fœminæ verò viripotentes factæ ſint, requirit. Quod tamen in ſponſalibus, uti jure Canon. in nuptiis, non obſervatur, ſed ſufficit ſi contrahentes primum ſeptenarium excesſerint *l. 14. ff. de ſponſ.* Quem morem aliquandò Auguſtus cum immaturitate ſponſarum & matrimoniorum creberrimâ mutatione quæ noxiæ Reipub. erant, vim legis eludi, ſentiret, correxit *Tranquill. in Aug. c. 34. p. m. 79.* terminumque annum conſtituit decimum, infra quem annorum numerum ſponſam, quis habere non poterat. *Arniſ. doct. pol. c. 3. p. m. 65.* Hoc verò poſterioribus temporibus Imp: Leo. *Nov. 119.* iterum correxit. 6. Q. An impubes juramen-

319

tum in judicio præſtare poſſit? Quod per *c. 1. IV. q. 3.* negatur, quod ante 14. annum neminem ad teſtimonium admittit, ergò multò minus ad ejusmodi adſertionem religioſam, cum in hâc ſalus animæ periclitetur, ſi temerariè & fallaciter facta fuerit, ad quam temeritatem impuberes propter ætatem hanc aliàs faciles, pronitate levitatis prolabi poſſunt. Reverentiam enim quâ jurare debent, nondum abſoluto rationis uſu, ignorant. *D. Thom. q. 89. art. 14.* Sic non poſſunt deferre juramentum *l. jusiurandum 1. §. 1. ff. quar. rer. act. non datur.* quoniam tale juramentum ſpeciem habet rei judicatæ, à quâ appellare non licet. *Ill. Umm. proc. jud. diſp. 14. n. 70.* 7. Q. An impubes rectè ad judicium familiæ herciſcundæ provocet? Quod negatur: propterea quod diviſio quandam alienationem contineat, quæ ſine decreto in rebus immobilibus pupillaribus non eſt permiſſa *ff. de reb. eorum. qui ſub tut. vel curat. ſine decret.*

Th. XV. Excuſſis iſtis quæ in teneræ ætatis annis fieri ſolent, alia jam orditur ætas, à quâ maſculi puberes: fœminæ verò viripotentes dicuntur. Et hoc procedit, etiamſi quidam inveniuntur, in quibus nec extent coitus indicia, nec puberale veſtem duxerit, cum obſervanda ſunt, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον non quæ ἐκ παραλόγου eveniunt. *l. 3 ff de LL.* At hæc pubertas ſive viripotentia ſub uſitatiore nomine non ſemper indicatur ſed aliquando per vocabulum *Tutela* ſpecioſè exprimitur, qui mos non tàm JureConſultis, quàm aliis latinis autoribus, frequens eſt, ut pro pubertate vocabulū *tutela* ponant. v. g. in tutelam ſuā venit. i. e. pubes factus eſt *l. ſi ita. 8. §. 1 ff. de bon. poſſ. ſecund. tab. l. cum ex. 39. in pr. ff. de vulg. & pupill. ſub. l. hæc autem. 5. §. 2. quib. ex cauſ. in poſſ. eat. Cic. de orat. & in*

Bru-

Bruto & alibi. Cornel.Nep. in Eumene. Sic etiam per vocu-las *ſuam ætatem* denotatur. *l.3. C. de teſt. tut.* Quod verò Imperator fœminas viripotentes *d. l. hac. §. 2. ff. quib. ex caſ. in poſſ. eat. l. pater. 101. ff. de cond. & demonſt.* non etiam puberes dicat, Cujac. *in recit. ext. de impub. deſp.* eſſe pu-tat, quod genuinum nomen, quod in ſexu ſequiori da-batur, commune excluſerit, quo in maſculis uti, propter defectum alicujus proprii neceſſarium erat. Sed Weſenb. *in Iſag. ad J. quib. mod. tut. fin.* verecundiam potiùs, quam nominis proprietatem, cauſam adſignat, cujus maxi-mam curam apud Romanos fuiſſe teſtes hiſtoriæ ſunt, ita ut etiam præſentibus virginibus & pueris quævis ver-ba dicere erubuerint, præſertim quæ dicta, rei turpis & fœtidæ linquebant memoriam, quod Plautus monſtrat, dum Virginem modò dicta ore virginali probantem in-ducit. Cujus verba in Feſto ſub voc. nupta ita referuntur, *Virgo ſum nupta verba nondum didici.* Cauſa etiam adhuc alia à Weſenb. d. l. adducitur quod ſcilicet hoc nomen *Pubertas* juris ſit, etſi naturâ oriatur, ad civilesque tan-tum actus pertineat, nec fœminas, hujus nominis (quod excludantur à publicis officiis & muneribus *l. hunc 1. §. 5. ff. de poſt. l. 2. de R. J.*) participes faciat de quô tamen pro-pter leges, in quibus nomen impuberis ſeu puberis puel-lis adſignatum quoque invenimus, dubitamus *l. 41. §. 7. ff. de vulg. & pupill. ſubſt. l. 3. C. quand. tut. eſſe deſin.*

Th. XVI. Hanc ætatem meritò majoris æſtimamꝰ reliquis, tum quod ardor quidam, & judicii habilitas ex-actius intelligendi, hoc vitæ ſpatium excipiat: tum quod ſe ipſam aliquatenus regere diſcat, quare etiam fœminæ id ætatis agentes ad genus faciendum, & rem domeſti-cam tractandam maribus concreduntur, maſculi verò

320

ad negotia peragenda mittuntur, liberiorque circa res ſuas tractandas poteſtas conceditur, Unde etiam maſculi 14. annis nati *pr. J. quib. mod. tut. fin.* Curatores, ſed ſaltim volentes accipiunt *l. ſi impuberi. 13. §. ult. de tut. & cur. Zœſ. ff. qui pet. tut. n. 3. Nobiliß. Dn. D. Schröter P.P. Patronus & Præceptor ætatem colendus in not. ad diſſert. Bernh. Sutho aph. 40.* nec obſtat *l. 1. §. 3. ff. de Min.* habuit enim hîc curatorem quare meritò ab adminiſtratione pellitur. Quod tamen de Curatoribus accipiendis, in quibusdam caſibus non obſervatur veluti, 1. in caſu ſuſcipiendæ litis ſive creditoris *l. 4. C. qui pet. tut.* ſive minoris ſit, ne fruſtrà litigetur *l. admone 7. C. eod. l. 2. C. qui legit perſ. ſtand. in judic. Gutierrez. de tutelâ p. 1. c. 19. n. 17. Gail. 2. ob. 108. Harprecht com. t. 1. J. de curat. n. 8.* 2. in caſu accipiendæ pecuniæ à debitore *l. 7. §. 2. ff. de minor.* 3. in caſu rationum à tutore reddendarum: *l. 7. C. qui tut. & curat. pet. Perez. d. t. n. 7.* Sed hæc cura non ut tutela ad proximos agnatos lege defertur, niſi in furioſis & prodigis quorum bonis interdictum eſt. *Ulp. in frag. t. 12. §. 2.* quoniam hi impuberibus, qui agnatos ex lege XII. tab. & ſublato veteri diſcrimine *per Nov. 118. c. 4. & ſeqq.* jam quoque proximos cognatos, ſucceſſores habent, adſimilantur, qui hodiè plerumque ſi tutores legitimè dati fuêre, ex conſuetudine generali Germaniæ (ſi etiam velint, quod & olim ita erat *l. 20. C. de excuſ. tut. & curat.*) curatores permanent uſquedum minor ad legitimam pervenerit ætatem *Gail. 2. ob. 96. Zöeſ. ff. de tut. n. 3. Carpz. p. 2. c. 11. d. 10. Magnif. Dn. D. Georg. Frantz. l. 1. var. reſol. 17. n. 30.* Hæc ætas de Jure Saxon. 21. de Jure verò civili 25. annus eſt *arg. l. 3. C. de in integ. reſt.* intra quod ſpatium adhuc aliquot gradus pubertatis inire minor dicitur prout

mate-

materiâ ſubſtrata magnum requirit intellectum aut favorem. Gloſſa dicitur Pubertas plena *l.arrogato 40.ff.de adopt.* & cum adhuc duæ pubertates plenius tempus requirentes, dentur priorem pleniorem, poſteriorem pleniſſimam modo comparandi procedendo appellat. *d.l. arrogato.* ex quibus tribus partitionibus, cum prima ſe habeat ut unitas numerorum, quæ ſub reliquis numeris complectitur, Jcti duas faciunt plenam ſc. & minus plenam. Plena incipit in maſculis 18. anno. in fœminis verò 14. anno. Minus plena finitur maſculis in 17. fœminis 13. anno. Et ſecundum hanc æſtimantur negotia, ita ut rectè contrahant & obligentur tàm in commerciis ut Ariſt. 5. Eth. vocantur voluntariis, quàm invitis. Quæ perluſtrabimus excuſſo tamen prius perſonarum ſtatu. Quarum quædam ſunt ſui juris; quædam alterius manui ſubjectæ. De illis in præcedentibus diximus, quod rectè & obligentur & contrahant *l.ſi curatorem 3.C.d.in integr. reſt.* & omnia faciant, quæ jure non prohibeantur *§.1.I. de jur.perſ.* Hæ dividuntur ita ut quædam ſub curatelâ: quædam ſub patriâ poteſtate ſint. Hæ civiliter rectè obligantur ſive propriâ voluntate, ſive juſſu parentis contractum inierint, *l.2.ff.quod cum eo qui in alie.pot.* in omnibus enim cauſis patrifamilias comparari eos, invenimus *l.filiusfam 39.ff.de O.& A.* ita ut in ſolidũ, niſi jura illis ſuccurrant, tenerentur, licet executio (cum nihil in bonis habent, quamdiu ſub manu ſint) differatur. *l.ſi filiusfamilias 5.ff.quod cum eo qui in ali.poteſt.eſt neg. Zœſ.d.t.n.1* Quod tamen in pecuniâ mutuò acceptâ non obtinet per Sctum Macedon. quo filiofamilias in perpetuum ut actionem creditoris elidere poſſit, adſiſtit *l.7.§.10.l.1.h.t.* etiamſi ſententia in rem judicatam tranſierit *l.tamen*

11.ff.

21. ff. h. t. Perez. C. eod. n. 17. propter ſingulare odium in fœneratorem quicunque etiam ſit. Sed hoc limitatur niſi creditor ſit minor *l. verum 11. §. ult. ff. de minor. Azo C. de filiofam. min. n. 6.* quia privilegiatus contra privilegiatum non utitur privilegio *Cavalc. deciſ. 30. n. 17. 33. & ſeqq. part. 1. Flam. de Rube conſ. 45. n. 17. vol. 1. Zœſ. ad SCt. Maced. n. 26. Umm. diſp. 4. proc. jud. n. 63. Perez. prælect. in C. quando Imp. inter pupill. n. 5.* 2. mentitus ſit creditori ſe eſſe patremfamilias *Jaſ. in l. eſt recept. coll. 3. C. de jurisd. omn. judic.* 3. Publica ignorantia pro creditore militet *l. ſi quis 3. ff. ad SCtum Maced.* 4. data pecunia verſa ſit in rem patris vel ejus conſenſu data *l. 2. & 4. C. h. t.* 5. ob neceſſitatem acceperit, aut pro alio fidejuſſerit. *Zœſ. n. 16.* Illæ autem quæ in curatelâ ſunt etiam quidem obligantur, ſed pupillariter, hoc eſt naturali, non civili modo *Nobil. Dn. D. Struv. de pactis 40. Gail. 2. obſ. 96. n. 7. Möll. ſemeſt. lib. 5. differ. 21. n. 1.* cum curatorum autoritas harum obligationi tanquam neceſſarium requiſitum contractûs minoris, ſemper ut adſit, requiratur *l. 3. C. de in integr. reſt.* quod etiamnum hæc ætas captionibus hominum pateat *l. 1. ff. de minor.* facilèque damnum pati poſſit, etiamſi cautè res ſuas gerat *d. l. 1. §. ult.* Nec obſt. *l. 101. de V. O.* ſi Timæi Fabri ſententiam *anniverſ. diſp. 9.* & Arnold. VinnI ejusd. ſententiæ approbationem *tr. de pact. c. 14.* ſequamur: legem ſc. eam de tali caſu loqui ubi curator non adfuerit, poſteà tamen iſtud factum conſenſu ſuo firmaverit. Nam curatorum & tutorum hæc differentia eſt, ut horum autoritas eô ipsô quo negotium perfici debet, requiritur, curatorum verò demum ex poſt facto *l. 9. §. penult. ff. de aut. tut.* Aliter reſpondet *Harprecht comm. 1. de curat. n. 25.* loqui ſc. textum hunc de tali caſu,

ubi

ubi locupletior factus fuerit minor, & hoc exhibere putat verba: *poſſunt*. quæ non aſſertivè: *obligantur*; ſed dubitative; *obligari poſſunt*; concipienda ſunt. Variè alias hanc legem explicantes tradit *Facch. 3. controv. 9.*

Th. XVII. Hòc tamen nòn in omnibus & ubique procedit, cum multa ſint quæ eorum autoritatem reſpuant tam in minus plenâ, quam plenâ pubertate, faciantque ſubſiſtere actum, veluti ſunt. 1. Teſtamentum, quod rectè hæ Perſonæ ordinant *l. 4. C. qui teſt. fac. poſſ.* quia curatoris autoritas tanta non eſt, ut impedire poſſit hominem ſuæ tutelæ, facere quæ velit. *Gail. 2. obſ. 96.* nam hæc poteſtas ad actus inter vivos tantum refertur, *Maynardus l 5. c. 1.* in quibus quis facilè labi poſſit. non ad ultimas voluntates quæ alterius arbitrium reſpuunt *l. illa inſtitutio. 32. ff. de hered. inſtit. Perez. C. qui teſt. fac. poſſ.* 2. Hoc teſtamento factæ manumiſſiones, quæ per L. Æliam Sentiam ab anno XX. demum, *Anton. Auguſt. de LL. hac d. l.* per Juſtinianũ verò medio tempore, §. 7 *l. qui & quibus ex cauſ. man. non poſſ.* & tandem noviori jure *Nov. 119. c. 2.* eod. die quo teſtamenti factio ſolet, cõcedebantur. 3. Mortis cauſa donatio *Bald. in l. 1. §. 1. de tut. & rat. diſt. Rauchb. p. 1. q. 21. n. 84.* Quicunq; enim ut quidam adſerunt teſtamentum facere poteſt, ille etiam habet mortis cauſa donationem *l. 32. §. 8. ff. de don. inter vir. & uxor. l. filiusfamil. 7. §. 6. ff. de donat.* quia hæc comparantur cum legatis *§. 1. J. de donat. Wiſſ. diſp. 16. ff. de don. n. 10.* 4. Cauſæ Spirituales & Eccleſiaſticæ: quia in illis habentur pro majore *Gail. 2. obſ. 108. n. 9. Hart. Hart. t. 5. o. 9.* 5. Matrimonium: *l. 20. ff. d. R. N.* quia non de rerum adminiſtratione ſed perſonæ ſolà conjunctione agitur *Harpp. comm. 1. de curat. n. 25. & conſequenter.*

TH. XIIX. At nondum copiam habet publicè loquendi: quia hæc facultas tantum puberibus 17. annis à legibus conceſſa eſt. Hæc pubertas plenior dicitur *gloſſ. in l. arrogato 40. ff. de adopt.* Tunc enim virilem togã capit. *Cuj. o. 22. c. 16.* pro aliisque rectè poſtulat *l. 1. ff. de poſtulat.* Nec obſt. *l. exigendi. 12. C. de procurat.* nullum enim mandatum hic à patre habuit, & propterea de judiciô pulſus eſt ne reſtitutione factâ judicium fiat illuſorium *l. 51. ff. de procur. Wiſſ. diſp. 11. de pact. th. 3.* Rectè etiam hoc tempore laurea Doctoralis, ſi dignus invenitur, qui tàm auguſtô titulo honoretur, conferri poteſt. *Bart. & Alex. ad l. 1. §. 3. ff. de poſtul.* uti & electio in conſulatum, quemadmodum Honorio factum legimus *l nemo. 14. C. de Relig. & ſumt. fun. l. fin. C. de privil. eor. qui in ſac. palat. mil. lib. 12. t. 29.* Ubi ſub utrâque inſcriptione adjiciuntur verba: *Honoriô nobili puerô.* Quam, deſignationem futuræ ſucceſſionis in Imperio denotari vult Cujac. *ad d. t.* Etità peculiare quid eſſe; nec ad alios extendendum, quibus non niſi pleniſſimâ pubertate, 18 ſc. anno, venia annariæ Legis fit *l. Quidam. 57. ff. de R. Jud.* quod tamen in penuriâ maximâ hominum non obſervatur *l. 2. qui ætat. vel profeſſ. ſc. exerc. lib. 10. l. ut gradatim. §. 2. ff. de muneribus,* cum melius ſit ad heroum filios, quam obſcuros homines deferre magiſtratus, quod alias vileſcant *Nov. 15. in pr. c. 6. Joſias Nold. de ſtatu Nobil. c. 12. n. 91.* Cæterùm quamvis in foro verſari minori 17. annis aliquatenus commiſſum fuerit, omnibus tamen rebus par eſſe nondum creditus eſt. ideòque vitæ ſuæ majus ſpatium ipſi evolvendum antequàm aptus diceretur, leges adſignârunt, quod ſpatium plena pubertas vocatur, decimusque octavus annus eſt. ut ſuprà dictum fuit.

fuit. In hâc ætate ſi à partibus conditionem ſuam ſcientibus electus fuerit Judex, judicium poterit ſuſcipere *l.57. ff. de R. Jud. Wiſſ. diſp. 16. de judic. n.12.*

Th. XX. Iidem anni de jure veteri Spadoni obſervandi erant, qui teſtatus decedere volebat: *Paul. ſent. 3. t. 4.* quia non credebatur propter ſua naturalia impedimenta ut alii, pubes fieri, ideò tēpus iſtud, ubi etiā *οἱ βραδέως ἡβῶντες*, veſtem capiunt ipſi expectandum erat. Sed hoc per Conſtantinum *l. Eunuchis 5. C. qui teſt. fac. poſſ.* ſublatum eſt. Alimenta quoque, minori ad pubertatem relicta in hunc usque annum maſculis: fœminis autem 14. conſtituuntur *l. 14. ff. de aliment. & cib.* & hoc ob ſolum favorem qui etiam in tantùm extenditur, ut ſimpliciter relicta extendantur ad dies vitæ. Quod indefinita oratio æquipolleat univerſali. *Zœſ ff. de alim. & cib. leg. n. 4.* nec per damnationē in metallū comminuta expirent *l. is cui 11. ff. de alim. vel cib. leg.* quoniam talia pietatis intuitu (quamvis alias ſervus pœnæ legatorum incapax ſit *Cujac. obſ. 18. c. 13.*) rectè relinquantur *l. 3. ff. de his quæ pro non ſcriptis hab.* Sed pubertatis finis hic nondum eſt, nam aliam adhuc invenimus præter eam, quam Lex Lætoria vel Edictum prætoris conſtituit, eſtque XX. annus qui minores hanc ætatem agentes, ſi ſcienter ad pretium participandum ſe venumdari paſſi ſunt, ſervos reddit *§. 4. Inſt. de jur. perſ. l. 16. C. de lib. cauſ. l. 1. ff. quib. ad lib. procl. non lic.* juſtamque ſervitutem ſine ullâ reſtitutione ſervire cogit, ut eorum malitiæ occurratur *Hillig. ad Donell. enuc. l. 2. c. 9. Vult. in §. ſerv. J. de jur. perſ. n. 4.*

Th. XXI. Hoc itidem ſpatium minores in cauſâ civili idoneos reddit teſtes *l. 20. ff. de teſt. Perez. C. eod. n. 2. Wiſſ. diſp. 43. n. 29. d. t.* non item in criminali: quoniam

ma-

magnum ibi vertitur periculum *Boſſ. in prax. crim. tit. de antiqui. n. 62. Tuſch. pract. concluſ. 196. lit. t.* Nec obſtat quod judex eſſe poſſit *l. cum lege. 41. ff. de recept. arbit. & l. quidam conſulebat. 57. ff de Re jud.* quoniam ſententiæ ejus per ſuperioris correctionem ſuccurri poteſt, quod fides teſtimonii non admittit. *Coſtal. ad l. 12. ff. de iud.* Non minus etiam hoc tempus annos dimitti facit per Legem Juliam & Papiam ſi minores operam polipediæ dederint. Nam cum Reipublicæ maxima ſemper ſtipendia facienda erant, nullô commodiori modô invitari poterant cives ad eam quam remiſſione annorum *Gell. lib. 2. Noct. att. c. 15.* Sed ad honores ſolum adipiſcendos pertinet non bonorum adminiſtrationem conſequendam *l. 2. ff. de minor.* quæ ex indulgentiâ Principis, demtâ per Severum & Antoninum poteſtate Conſulibus & Præſidibus veniam concedendi, *l. 3. ff. de minor.* magnâ ſolùm de causâ permitti ſolet. Cum ætas hæc multis captionibus & illecebris adhuc expoſita ſit. *l. 1. ff. de minor.* Id quod poſtea conſtitutione Leonis Imperat. 28. Magiſtratibus iterum conceſſum fuit. *Pacius in analyſ. ad C. qui ven, ætat. imp.* ut probatâ à Judice in maſculis ſapientiâ in fœminis morum probitate integritateque vitæ *l. 2. C. qui ven. ætat.* pro majoribus haberi poſſint. veluti & hoc etiamnum in iis quæ mercaturam & res fiſcales tractant, obſervatur *Charond. lib. 11. reſponſ. Wiſſ. diſp. 14. de duob. cauſ. in integr. reſt. n. 24.* ut ceu venia ipſis facta fuerit, habeantur, ne contrahentes cum iſtis damnum ſentiant. Sed venia iſta, non omnimodò tamen, majores & qui legitimam ætatem conſecuti ſunt, facit, cum per legitimam ætatem illa demum ætas intelligatur, quæ 25. annorum ſpatio; non quæ principali reſcri-

ſcripto terminatur *l. ult. C. qui ven. ætat. Perez. C. eod. n. 7.* quare non attenditur hæc venia ſi major factus ipſi quicquam relictum fuerit. Nam revera talem majorennitatem, non per indulgentiam Principis in fraudem Legis Lætoriæ effictam deſiderat quoniam naturæ veritas fictione perimi nequit. *l. 2. ff. de uſufr. earum rerum quæ. uſ. conſum. l. eas obligationes. 8. de cap. min. l. adſumtio. 6. ad municipal. l. 2. C. de jur. aur. annul. Rauchb. part. 1. q. 41. n. 24.* Et hæc de pubertatibus quæ ſingulæ ſc. pubertati in ſpecie competunt. Sed ne nimis longè præter ſpem evagemur, iſta quæ univerſam in genere ſpectant non tangamus, quare in propoſito pergimus.

Th. XXII. Exhibet Er. ſe nunc in ordine Juventus reliquis omnibus maximè perfecta. Cuius terminus quô deſinere debeat, magis dubius eſt, tum quod nihil prorſus leges conſtitutum relinquant, tum quod habitus corporis, & qualitas ætatis eius, ex quibus terminus commenſurari debeat Juriſperitis haut innoteſcere poſſit. Et quamvis *Abbas in c. quoniam frequenter. 5. X. ut lit. non conteſt. n. 18.* Juventutem quinquageſimo terminari dixerit ſuo tamen potius ingenio indulgere, quam ex fundamento quôdam affirmare videtur, uti etiam hoc Gloſs. facit *in l. hereditatum. 68 ff. ad L. Falcid.* quæ longiorem terminum requirit commiſcendo Juventutem cum ætatę conſiſtente ſeu virilitate, quoniam magnam affinitatem cum hâc priori habet ita ut penitus omnia quæ illi dabantur, huic conceduntur *arg. §. minorem natu. J. de Adopt.* Hinc quælibet etiam negotia ab utriſque rectè geruntur quamvis ob juventutis inconſtantiam res minus providè gerantur, ut iſtud ſatis *Horat. in Art. Poët.* teſtatur

324

-- *Juvenis tandem cuſtode remoto*
Gaudet equis, canibusq́; & aprici gramine campi
Cereus in vitium flecti.

Sæpiſſimeque eveniat ut propter largitiones immodicas, & rerum ſuarum furioſam profuſionem, ipſis à magiſtratu per ſententiam adminiſtratio interdicatur *Nobil. Dn. D.* Strauch. *diſs. Juſtin. diſp. 5. n 33. Gœd. de contrah. ſtipul. c. 7. n. 141.* donec reſipiſcant *l. 1. ff. de curat. furio. & ali. Gail. 2. ob. 85. n. 6.* Interim tamen cum nemo pro prodigo habendus quàm ille, quem talem Magiſtratus dixerit, *Umm. proc. jud. diſp. 16. n. 6.* (quoniam prodigalitas res facti eſt, ut propter circumſtantias facilè variantes levium exceſſuum non habenda ratio) actiones eius ratæ habentur.

Th. XXIII. Ideoque Juvenis fit legitimus Defenſor, cum ulteriùs remedium ipſis aliàs competens, quod erat Reſtitutio, amplius non ſit metuendum. *l. 51. ff. de procurat. Wiſs. diſp. 11. d. t.* Et hinc rectè tàm alios: quam capitis reos defendit, cum etiam in capitalibus defenſio quod excuſationem abſentiæ attinet, concedatur, ne quis abſens damnationem patiatur *l. 13 ff. de pub. jud.* Nec obſt Ulpianus *l. 33. ff. de procurat.* cum vocula *defenſio* figuratâ locutione ſignificet excuſationem abſentiæ. *Wiſs. diſp. 12. de procur. th. 18.* Et imò hic aliquatenus videtur defendere qui abſentiæ juſtas profert cauſas, licet ipſam cauſam verè agere nequeat *l. 1. ff. an. per ali. appell.* Attamen promiſcuè hoc licitum non eſt omnibus, ſed tantum iſtis, qui jure non prohibentur, quales ſunt. 1. Servi propter indignitatem ſuam *l. 1. ff. de jure delib.* quæ ipſos à communione juris excludit *l. quod attinet. 32 ff. de R. J. Matth. Steph. in tract. method. de arte jur. c. 1. n. 39.* Nec

ob-

obſtat quod iis litem movere conceſſum ſit contra dominos in ſuppreſſione tabularum, quibus ipſis libertas conceſſa eſt *l. vix 53. ff. de Judic.* quia hoc, uti & reliqui caſus in quibus ſervi perſonam repræſentant *Specul. de actor. n. 17.* ſpeciale quid habent, & propterea conceſſum, quod confeſtim pileo donandus pro donato habeatur, ceu cingendus pro cincto *l. filiusfamilias. 43. ff. de mil. teſt. Cavalcan. deciſ. 44. n. 17. lib. 1.* 2. Muti & Surdi; *l. mutus. 43. ff. de proc.* quod dicta non audiant, aut intelligant. *l. ſervo. 65. § 3. ff. ad SCt. Trebell.* quæ in judicio expediri debent. *Vant. de nullit. ex def. habit. n. 15. & ſeqq.* 3. Prodigi; cum à furioſô cui in pluribus comparatur, haut differant *l. 1. ff. di curat. fur. Zaſ. in l. 6. n. 20. de V. O.* nullaque apud eos voluntas exiſtere credatur. *l. furioſi. 40. ff. de R. J.* etiamſi ad acta ſervanda juramentô ſe adſtrinxerit, cum dolo malo juramentum videatur extortum Leopold. Hacelm. *quæſt. illuſtr. diſp. 9. n. 8. c. quæ contra 64. de R. J. in 6.* quod nunquam ligat *c. 28. de jurejur. in 6. Fach. 2. controv. c. 64.* 4. Proſcripti; quoniam tales pro hoſtibus habentur, aque communione viventium excluduntur *l. amiſſione. 5. ff. de cap. dim. Heig. 1. q. 9. n. 42. & 52. Modeſt. Piſt. q. 26. parte 1.* Ita ut etiam actiones ante hanc proſcriptionem ſuſceptæ pereant. *l. ſi debitori. 47. ff. de fidejuſ. Mynſ. 3. obſ. 30.* 5. Monachi; *c. ſacerdotibus. X. ne cler. vel monach.* Ratio prohibitionis eſt. Quod militans Chriſto familiaritatibus mundi non debeat implicari. *c. Epiſcopus. 3. diſt. 88. Magnif. Dn. D. Ungepaur. in comm. ad decretal. t. 50. X. de cler. vel monach. n. 2.* Quod tamen poſtulante ſummâ neceſſitate, de dignitate, officio, & obedientiâ illis commiſsâ certantibus non denegatur. *c. deputati. 16. de Jud. Cuj. in recit. ad d. c. p. m. 31. ſub fin.* 6. Il-

lu-

Illuſtres, aut qui alicuius gratiæ aut dignitatis ſunt *l. quicunq; 25. C. de proc. l. curialis. 30. C. de loc. cond.* Ratio: quod, potentiorum patrocinio impares ſimus *l. quia. 3. in pr. ff. de alien. jud.* facilèque adverſæ partis potentiâ alterius jus ſupprimi poſſit. *l. divinæ. 1. C. ne lic. potent.* A quò ut magis terreamur conſtitutum eſt, ut nomen actionis cum ſorte violator amittat. *l. 2. C. d. t.* 7. Apoſtatæ; Ratio quod à conſortio omnium ſegregentur *l. hi qui. 3. C. de apoſt.* ſimilesque ſint bannito & excommunicato *l. eos. 6. C. d. t.* infamiâque laborent, quæ olim quod tam caſtè habebantur judicia tales ad experiendum in jure nunquam admittebat *Quintil. lib. 3. c. 6. & lib. 7. c. 5.* uti & etiamnum quo ad accuſationem de jure Can. hoc obſervari legimus. *c. conſtituimus. 3. q. 5.* 8. Magiſtratus; *l. pars 48. ff de Judiciis* cum honor hoc non admittat ut officio defenſoris quis fungatur. 9. Mulieres, quæ de jure Saxon. in tantum pelluntur à judiciis *artic. 44. & 47.* Landrecht. *l. 1.* ut etiam nullum actum ſine curatoris autoritate extra judicium, (cum etiam minoribus æquiparantur) valeant expedire *Möll. Semeſtr. lib. 2. c. 3. n. 1.* quin imò nec procuratorem ſine curatore conſtituere poſſunt. *Conſt. Elect. 15. n. 62. parte. 1.*

Th. XXIV. Uti igitur præter exceptos caſus Juvenis legitimus Defenſor poſt completam legitimam ætatem fiebat, ita quoque idoneus dabitur fidejuſſor de judiciô ſiſti *l. 2. §. 2. ff. qui ſatisd. cog.* cum amplius non prohibeatur ut minor, *l. 8. ff. d. t.* qui perſonam ſtandi in judicio propter reſtitutionem non habet. *l. in univerſis. 11. C. qui dar. tut. vel cur. poſs. l. ſi cum. 1. l. in rebus. 2. qui legit. perſ. ſtand. in jud. hab. Gail. 2. obſ. 108. n. 1.* Quod tamen iterum admittit limitationem: Niſi Epiſcopus ſit: *Nov. 123. c. 9.* aut

6. aut Miles: *l. milites 31. C. de Locato* aut Mulier, *l. 1. ad SC. Vell.* Nam uti hæc ob beneficium illi in interceſſionibus competens non rectè intervenit: ita illi propter impedimenta armorum fruſtrà fidejubent At non tantùm procedit in fidejuſſione, ſed etiam Tutelâ, *l nemo 5. C. de legit. tut.* & accuſatione, tam propriæ ſui ipſius *l. 10. C. qui accuſ. poſ.* quam alterius cauſæ *l. 15. §. 6. ad L. Jul. de adult.* Nec ſemper prætereà rationem impetrandæ veniæ habere debet, in iis perſonis quas alias reverentia, & edictum Prætoris accuſare prohibent: *l. quiq; 4. de in jus voc.* veluti ſi tutoris nomine agat. *arg. l. libertus. 15. ff. d. t.* Verum actione famosâ ejusmodi perſonas impetere non eſt licitum *l. 1. C. de obſeq. patr. præſt.* cum providere poſſit neceſſariis poſtulationibus apud eum cujus de eâ re jurisdictio eſt, *arg l. 1. C. ſi tut. vel curat. non geſſ.* Quemadmodum verò minor 25. annis, tutelam (etſi legitimus tutor fuerit) ante perfectam ætatem adminiſtrare non poterat: §. *13. J. de excuſ. tut. l. 16. §. 1. de tutel.* ita quoque hujus donatio non procedebat *l. 3. C. ſi maj fact. ali.* quam ſi anni diſcretionis propè fuerint, qui rei ſuæ liberam, adminiſtrationem tàm in alienando per titulum lucrativum, quàm oneroſum, ipſi adjiciebant. Nam alienationi rerum prohibitione cavere, quam vulneratâ cauſâ remedium quærere, ſatius duxit Imperator. Quarè etiam donationem dotis cauſâ, aut propter nuptias ſine decreto non: *l. 8. C. de præd. & ali. reb. min. non ali.* ſimplicem autem nec cum decreto facere poterant *l. fin. C. ſi maj. fact. ali.* Quæ tamen omnia ex quô legitimam ætatem conſecutus quis fuerit, rectiſſimè procedunt, cum liberalem eſſe nemini prohibitum ſit, ita ut etiam alienatio absque decreto facta, ſi ex cauſâ oneroſâ prodierit, in-

tra quinquennium: Sin lucrativa; intra viginti annos inter abſentem, 10. præſentem, connumeratione factâ ab ætate majore donantis, robur ſuum conſequatur *Ant. Perez. Præl. C. ſi major fact. alien. n. 1.*

TH. XXV. Matrimonium quoque Juvenis rectè init, veluti & hoc cum prioribus ætatibus commune habet, niſi quod hic quædam ſe exhibeant, quæ perfectitudinem ſuæ liberæ facultatis, in tantum impediunt, in quantum ad officia adminiſtranda pleniori ætate maturior redditus eſt. E quorum numerò ſunt: *Primò* Tutela, cujus pupilla nondum major reddita: *l. non 66. ff. de R. N.* aut ejus ductio in domum à Principe impetrata fuit. *Zæſ. d. R. N.* cum intervorſiones rei familiaris timeantur *l. libertum 64. ff. eod.* Quod tamen hodiè cum jure Canon. non attendatur *Gloſs. in Can. 1. in fin. XXX. quæſt. 3.* inter noſtrates non eſt prohibitum *Dn. D. Hahn. in obſ. pract. ad Weſ. d. t. Zœſ. n. 20. eod. Deindè* Provinciæ gubernatio, ob potentatum, *l. præfectus 63 ff. de R.N. & tandem* Senatoria dignitas, ob eminentiam, quæ non quamvis mulierem huic adjungi admittit *l. lege Julia, 44. h. t.* Sed uti prius tanquam ratione cui innitatur carens à Canon. *c. cum cauſa, 3. X. de rapt. incend. & viol.* ſublatum eſt, ita poſterius *Nov. 78. c. 8.* ab Imperatoribus aliquantum abiit in deſuetudinem. Non autem poteſtas tantum matrimonio impedimento fuit, ſed etiam ſcelera & crimina. Nam adulter in perpetuum iſtam, quam adulterio polluit, ducere non poteſt, *c. 5. X. de eô qui dux. quam poll.* Sic etiam in Novell. 150. conſtituitur, ne puella raptum paſſa raptori ſuo nubat.

TH. XXVI. Ætas inſuper hæc, Juvenes etiam aptos reddebat, inquiſitioni & conſervationi pecuniæ à quâ Quæſtores dicebantur *Gid. Panciroll. in comm. not. dig. Imp. p. m. 113. col. 6.* Quam intra vigeſimum quintum annum Juſt. Lipſ. *in comm. ad lib. 3. annal. Cornel. Tac.* Auguſti & deinceps ævo, nunquam contigiſſe probat ex Dion. *lib. 52.* quod totam ſuam orationem ſtatui Auguſtanæ Reipubl. accommodaverit, in quô ante 25. annum nemo in Senatum, cujus Quæſtura primus gradus eſt, admiſſus fuit. Quod tempus quo ad conſilium magnum in Republ. Venetorum adhuc ſtrictè obſervari tradit *Gaſpar Klock tr. de contrib. c. 6. n. 50.*

TH. XXVII. Quâ ratione autem vices priores Juvenis ſubivit, eâd. ratione officium Judicis dignè conſequitur, cum nunc judicio confirmatus inter ſeniores referatur *l. non aliter. 69. ff. de Legat. 3.* duplicemque ſalem, ſcientiæ ſcil. & conſcientiæ rationem, quam Baldus *in l. 2. n. 7. C. de ſent.* requirit, habere videatur, ut bonus, juſt⁹, æqvus, & temperans ſit, affectibusq; minimè indulgeat *Lud. Gilhaus arb. jud. crim. c. 6. part. 7. de quæſt. & tort. n. 34.* Cavere tamen ſibi debet ne ſit infamis, *l. 12. §. 2. ff. de judic.* Judicio publico damnatus, *l. 4. ff. de accuſ.* calumnia notatus, *l. 9. ff. eod.* Beſtiarius & mimus, *Roſenthal. in d. F. 13. n. 16.* quos in tantùm contemtæ exiſtimationis olim fuiſſe *Wiſsenbac. diſputat. 11. theſ. 15. ſcribit,* ut etiam in primitivâ Eccleſiâ ad communionem non fuerint admiſſi, inque voto Baptizandorum ſemper cautum fuerit, ne ſpectaculis & pompis delectari velint. Hos tamen quod infamiâ aliquâ notati fuerint, (quamvis ab honoribus omnibus pellantur, quoniam infamibus portæ honorum patere non debent *l. 2. C. de dignit. lib. 12. c.*

d. R. J. in 6. Azo in ſum. Cod. de infam. lib. 10. l. 1. §. 6. & 8. ff. de poſtul. l. 2. ff. de offic. aſſes.) à muneribus publicis, (quod hoc privilegii, non notæ ſit *l. 12. C. de Decur. lib. 10.*) liberari non poſſe certum eſt. Nam onera publica universi ſucipere debent *l. civilia 1. §. 1. C. de mun. patrim. l. 1. C. de his qui non implet. ſtip. lib. 10. t. 45.*

Th. XXVIII. Sed hoc tùm demùm obſervatur ſi non adjuncta fuerit aliqua dignitas, quæ alias hoc impedit, nam quò inferiores integræ frontis hominibus ſunt eò majori ſemper onerentur pœnâ *l. capitalium 28. §. 16. ff. de Pœn.* ne lucro ipſis ſit ſua nequitia. Hinc ab hæreditate teſtamento relictâ rejiciuntur, non tantum ſi parentes, verùm etiam ſi fratres & ſorores agant de inofficiosô teſtamentô *l. 27. C. de inoff. teſt.* Interdum tamen neceſſitate urgente ne in perniciem Reipub. veritas occultetur, ex indulgentiâ Principis viles quidam admittuntur Quibus verò citius ad honores adſpiratio non datur, quamdiu honeſtioris ortûs homines extent *l. generaliter. 3. § ſpurios 2. ff de decur.* Nam quam vis dignitas illius qui nihil admiſit impedienda non ſit *l. ſpurii, 6. ff. de decur.* præferendus tamen minimè eſt honeſtioribus, quod Magiſtratus obſcuris delati vileſcant *Nov. 15. c. 16. in pr. Bodin. lib. 6. de Repub. c. 6 circa fin.* (ut ſupra dictum) Et his annumerari poſſunt, qui viles artes exercent, & qui ex cujusque civitatis longâ conſvetudine pro tenuioribus habentur, veluti Juſtiniani tempore erant Opifices ſordidiſſimarū operarum. *Nov. 90. c. 1.* quos Wiſs. *diſp. 43. de teſt.* ἐπιδιφρίυς καὶ χαμερπεῖς appellat. Quibus nunquam ſine magnâ ratione honores committi ſolent.

Th. XXIX. Quod olim quidem in Judæis ex conſenſu Div. Princip. Antonini & Severi nō obſervabatur *l. gene-*

generaliter. 3. ſub ſin. ff. de decur. modo ſuâ ſuperſtitione alios non læderent *Perez C. de decur.* Sed ſequentibus temporibus à Chriſtianis Imperatoribus iterum prohibitum eſt, *Matth. Steph. in Interp. 13. tit. Cod. Juſt. l. 9. n. 6.* ne hâc occaſione, cum civitatis defenſores eſſent, Judæi inſurgere in Chriſtianam fidem perversâ ſuâ doctrinâ præſumant. *l. ult. C. de Judæ.* Quidpe ſeminarium hic ordo erat dignitatũ, per quod ad plures honores adſcẽdere poterãt, nam in ictu oculi omnis dignitas non naſcebatur, ſed gradatim ad eam adſcendendum erat, ne caſum appetere viderentur, ſi ad ſumma loci faſtigia poſtpoſitis gradibus, per abrupta quærerent adſcenſum. *c. ult. diſt. 48.* In quô conſtituti, ſi per munera trãſcurrerint univerſa, comitivâ primi ordinis fruebantur. *l. Alexandrinis. 56. C. de decur. lib. 10.* Qui tamen titulus à jurisdictione illorũ quib. ſuberant, eos non eximebat *l. curiales. 47. C. d. t.* quamvis neq; cædi, torqueri, *l. decuriones. 16. C. de quæſt.* nec ſi quem præter patrem occiderint, capite puniri poſſent. *l. Divus Hadrianus. 15. ff. de Pœnis. Bodin. de Repub. lib. 6. p. 1191.* Cujus generis etiam ſunt Veterani bonâ gratiâ dimiſſi, *l. 3. ff. de veter. mil.* Milites, *l. 8. C. de quæſt.* Clariſſimi, *l. 10. de Dignit.* Presbyteri *l. 8. C. de Epiſc. & Cler.* Nobiles, *Zanger de tor. c. 1. n. 30. Weſenb. conſ. 50. n. 20. part. 1.* Doctores, *Jos Nold. de ſtatu nob. c. 5. n. 160.* Item qui ex eminentiſſimorũ & perfectiſſimorũ proſapiâ originẽ trahunt: *l. Divo 11. C. de quæſt.* niſi atrociſſima commiſerunt crimina *l. decuriones. 16. C. de quæſt. l. proditores. 7. ff. de re milit. Hipol. de Marſil. in pract. crim. §. expedita n. 37. 44. & ſeqq.* Tum enim pro gravitate ſceleris & perſonæ puniendi veniunt, ut à Rege Daniæ Canuto factum legimus cuidam criminis latrocinii complici, qui, (quod vitæ ſuæ conſulturus,

328

ſe conſanguineum Regis clamaret,) propterea non dimiſſus eſt, ſed ob claritatem generis in nauticâ pinu ſolemnius ſuſpendium (*referente Alb. Stradenſi in hiſtoria ſub Anno 1183.*) ſuſtinuit. Cui optimè illud Galbianum (*cujus Bodinus de Repub. lib. 6. p. 1195.* meminit) reſpondet: qvi cive Romano conquerente, quod ſe in crucem ageret, tametſi pupillum veneno necuiſſet, ſolatio pœnam levaturus, reliquis altiorem facere, & dealbari juſſit. Reatus enim omnem honoris prærogativam excludit *l. 1. C. ubi Sena. vel Clariß.* nec beneficium legis ipſis patrocinetur quam contemnendã dulciùs duxerunt *l. fin. §. ſin ſervo 112. C. de jure delib. arg. l. auxilium. 37. ff. de minor. Matth. Steph. expl. Nov. 143. n. 7.*

TH. XXX. Et hæc de Juventute dicta ſufficiant. Nunc pauciſſimis de iſtis quæ in Virilitate fieri ſoleant. Facit ergò 1. hic quod iſte qui Præsbyter fieri vult, ſi minor 35. annorũ ſit, non ordinari poſſit *Nov. 123. c. 13.* Quod tamen Clemens V. Papa *in Clement. de ætate & qual. c. 3.* mutavit, jubens ut quis anno 25. ad ordinem Presbyteratus pervenire poſſit. Quam conſtitutionem penuriam cauſatam putat *Magnif. Dn. D. Ungepaur in comm. ad Decretal, X. de ætat. & qual. præfic.* quæ maturiorem ordinationem exigit *c. 5. diſt. 78.* 2. Deinde faciet Epiſcopus, *Auth. Presbyterum C. de Epiſcop. & Cler.* qui citius propter metum Saltus *c. ult. diſt. 48. X. de Cler. per Salt. prom.* non admittitur, niſi prius quinquennio inter lectores & exorciſtas, deinde 14. inter acolythos, & ſubdiaconos, & tandem 1. annis inter Diaconos fuerit. *c. 2. diſt. 77.* vitæque ſuæ integritatem & fidei conſtantiam probatam dederit *can. quicunq. d. diſt.* Quoniam Magiſter non poteſt eſſe qui prius non fuit Diſcipulus. 3. Poſtea facient Mulierculæ illæ piæ,

quæ

quæ olim curam illarum quæ facta ſua & cogitationes Deo conſecrârant, gerebant, quas *auth. Diaconiſſ. C. de Epiſc. & Cler.* Diaconiſſas appellat. Item Sanctimoniales quæ ante annos virilitati convenientes velari non debebant *c. 20. q. 1. c. 13.* Etſi Valent. Theod. & Arcad. in prioribus 50. annos deſiderârint, quod à Juſtiniano tamen haut obſervatum fuit.

Th. XXXI. Ultimô & 4. tandē faceret Præturæ & Conſularis dignitas; Si iſtam conſideramus ut in Liberâ Republicâ ante quadraginta: hæc quadraginta & tres annos non potuerit cuidam obtingere *Beſold. Pol. lib. 2. c 3. n. 4. Ant. Auguſt. de LL p. m. 153.* Quod tamen deinde ex quô Imperatoribus τὸ κύϱιον contigit interdum obſervatum non eſt, uti ex ſuperiori theſi patet, ubi Honorio Puero Conſularis dignitas delata eſt, ceu quoque Gratiano & Valentiniano minore factum legimus, in multarū conſtitutionum Conſulibus. Sed cum plura hic commemoranda non extent, niſi M. Pinarium Ruſcam, quem *M. Cic. lib. 2. de orat. t. 1. p. m. 238.* hanc annariam tuliſſe ſcribit, ab orco revocemus: ultimam, quæ ſuper eſt ætatis fabula, Senectutem aggrediamur.

Th. XXXII. Quæ uti ætati antecellit, ita ſententiæ principatum obtinet *c. de quibus, diſt. 20.* cum propter ſuam Prudentiam uſu quæſitam *c. ſciendum c. 26. q. 4.* valdè commendabilis reperiatur, parque ipſi ſemper honos tanquam Magiſtratui exhibitus ſit, *l. ſemper. 5. ff. de jure immun.* etſi viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporis magnas res gerere non poſſit *Cic. de ſeneɛt.* quoniam ſemper propter morbum quem ipſa Senectus exhibere videtur, ægrotat, *Salluſt. in frag p. m. 178.* paulatimque laboribus & doloribus frangi incipit. Quando verò quis

Senex

Senex dicatur inter Dd. diſceptatur. *Gail. 1. ob. 92. n. 7.* Gotofredus *in notis ad l. ſemper. 5. ff. de jure immun.* jamtùm in quadrageſimo ſexto anno initium eius ætatis ponit. Abbas *c. quoniam frequenter. 5. X. ut lit. non conteſt. n. 18.* in quinquageſimo. Calliſtratus *l. non tantum. 11. ff. de Decur.* in quinquageſimo quinto. Ulpianus *l. paterfamilias. 15. §. in arrogationibus ff. de Adopt.* in ſexageſimo. Gloſſa *l. non aliter. 67. §. fin. de legat. 3.* in ſeptuageſimo. Optimè dubium diſcuti poſſe creditur, ſi judicis arbitrio æſtimandum committatur *Maſcard. de prob. vol. 3. concl. 1295. n. 8.* Quamvis Gail cit. loc. in Camerâ quinquagenarios pro ſenibus haberi affirmet, verum tamen tantum eſt quoad Cameram. *Umm. diſp. ad proceſſ. jud. 16. n. 48.* vel potius in materiâ iſtâ ubi quæritur an ante litem conteſtatam, quæ exordium & fundamentum cauſæ eſt, in perpetuam rei memoriam acturus poſſit petere, ut quis examinetur. Nam cum in jure ex ſupra allegatis textibus idem homo eôdem tempore pro diverſitate rei, & ſenex, & non ſenex dicatur, à JCtis certum quid terminari non potuit, niſi quoad iſtos effectus, quos jus civile, cum naturæ lege niſi κατ' πλάτος non invenirentur, præſcripſit.

Th. XXXIII. Cum igitur ſenum cunabula, ob incertitudinem judicis arbitrio concredimus ad ejusdem ætatis diviſionem tranſimus, quam in Senectutem & Decrepitatem fieri invenimus. *Senec. ad Lucil. ep. 12.* ad quas Galeni 3. partes quarum Cujac. *in commen. ad ff. de excuſ.* meminit, commodè referri poſſunt, ſi ſenectuti tam minimum quam medium: Decrepitati verò maximum virium defectum adſcribamus. Nam eadē continent, quæ bimembris noſtra diviſio. Sed ſenectutis privilegia nunc videamus. Inſigne itaq; eſt quod

ab

ab uſu rerum adquiſitam Prudentiam, Senectuti proprium dicatur Conſilium *Eurip. in Menalip. apud Stobæ. ſerman. 114* eaque juvenibus prudentior præſumatur *Maſcard. de probat. vol. 3. concl. 1295. n. 2. Anton. Perez. Prælect. in C. de prox. ſac. ſcrin. lib. 12. t. 19. n. 13.* & in rebus dubiis terminandis præferatur. *Lud. Gilhauſ arb. judic. c. 4. p. 7. §. 98.* Quod in omni etiam materiâ catholicum eſt, *ut ait Tiraq. de jure primogen. in præfat. n. 217.* niſi quindecim teſtibus juniorum prudentiam probare quis ſuſcipiat. ut vult *Maſc. de probat. d. loc. n. 3.*

Th. XXXIV. An verò hæc autoritas quæ apex ſenectutis, (cum iſta nihil magnificentius) Ciceroni *de Senect.* vocatur, Senes ab in jus vocatione eximat, probari poſſet aliquatenus (ut etiam Specul. *de act. n. 21. tractat.*) *ex l. ſemper. 5. ff. de jure immun.* ubi Calliſtratus refert: majores eundem pœnè honorem Senibus exhibuiſſe quem Magiſtratibus, niſi Gloſs. nos *l. generaliter. 13. ff. de in jus voc.* reſtringeret, iſtosque tantum qui in edicto prætoris comprehenduntur, quibusque neceſſitate legis reverentia præſtatur, *Duar. ad t. de in jus voc. c. 4.* exemtos moneret. Vocula enim remiſſiva *pœnè* diſcrimen adhuc factum exhibet, etſi teſte *Gell. 2. Noct. Att. c. 15.* propè Deorum vicem culti fuerint. Qui cultus ex quo Polipædia Romanis cordi eſſe cœpit, aliquatenus remiſit, licet privilegiis reliquis nihil derogatum fuerit. Nam adhuc mitiori pœnâ plectendus venit Senex ſi quicquam commiſerit Gloſs. *l. ferè in omnibus. 108. ff. de R. J.* cum miſeratio ætatis perducere debeat ad mitiorem pœnam *l. ſacrilegii. 6. ff. de peculat. Gloſſ. ad l. auxilium, 13. §. ſed & ff. de minor.* quamvis in totum remittenda non ſit, quod ita pridèm in iſto crimine tyrocinium poſuiſſe non creda-

F tur

330

ur. *Clar. 5. ſent. §. ult. 60. n. 2. Fab. cod. de quaſt. defin. 6.* Interim tamen ſi ad rei veritatem extricandam aliter perveniri non poterit niſi cruciatibus & quæſtionibus, gaudet adhuc privilegio, ut ceu in dubiis determinandis prærogativâ propter ſingularem experientiā honorabatur: ob miſerationem devexæ ætatis, ultimo loco torturæ ſubjiciendus veniat *Gloß. ad d. l. 108. l. 1. §. 2. ff. de quaſt.* in cuius tamen adhibitione circumſpectiorem debere Judicem eſſe patet, ne pari cruciatûs genere, quô priores, viribus adhuc duriores, fuêre affecti, exanimetur, *l. 7. ff. de quaſt. Lud. Gilhaus: arb. judic. crim. c. 6. p. 7. de quaſt & tor. n. 25. Perez. Pralect. C. de quaſt. n. 32.* quoniam tenuioris ſpiritûs eſt, & citius juvenibus mori præſumitur. *Gloß. Ulpianus ad l. hareditatum. 68. ff. ad L. Falcid. Gloſſ. nonnunquam, l. ſi quis 15. ff. de fideicom. libert. l. qui duos 9. §. 2. ff. de Reb. Dub.* niſi caſu quodam naturæ ordo invertatur *l. nam & 15. ff. de inoff. teſt.*

Th. XXXV. Quemadmodum autem vita hominum maximè fluxa eſt, nec quod quisque vitet, homini ſatis cautum ſit in horas, ita cum pro talibus magis de adventurâ inopinâ morte præſumatur *Gloß. atates ad l. cûd ratione. 2. ff. de feri.* ſi qua in re teſtatione iſtorum ſenum opus erit, in perpetuam rei memoriam examinari ſolent. *c. ſignificavit X. de teſt. l. carbonianum. 3. §. 5. ff. de carbon. edict.* Quibus non ſine causâ Valetudinarii annumerantur. *c. quoniam. X. ut lit. non conteſt.* quoniam idem quod in ſenibus ſemper timendum eſt, ne gravi morbo fracti citra expectationem deficiant, teſtimoniumque cadat. Et tales Ummio *diſp. ad proc. jud. 16. n. 48.* creduntur non tam qui diuturno: ut podagrici; ſed etiam qui difficili impediuntur morbo. Ut etiam ſunt prægnantes. *Gren. concl. 92. n. 8.*

Th.

TH. XXXV. Quos tamen invitos teſtimonium dicere non cogi poſſe *per l. 8. ff. de teſt.* patet, quam cum grano ſalis intelligendam: argumentoq; *l. teſtimonium. 1. eod. t.* explicandam eſſe Bacchovius *in not. ad Weſenb. ff. de teſt. p. m. 349.* monet. & *Dn. Hahn in ejusd. notis pract. p. 53.* repetit: quod ſenes eò melius teſtimonium poſſint dicere, quo exactius rem intelligant, nihilque ipſis patrocinetur, quod cogi non poſſint, niſi extra domicilium ſuum abire jubeantur. *c. ſi qui teſtium. 8. X. de teſt. Jul. Pac. in anal. ad Cod. d. t. n. 18.* veluti hoc liquet in Epiſcopo. *Nov. 123. c. 7.* Milite, *l. 19. ff. de teſt.* Profeſſoribus. *l. 6. C. de profeſſ. & medic.* idque genus aliis exemtis. Interim ſi res ſunt quarum exactiorem ſcientiam longiſſimi temporis intercapedo memoriâ abſtulit meritò iſtos excuſari poſſe putamus. Si autem teſtimonium tulerint, junioribus præferuntur. *in gloſſ. l. 3. in verſ. vinum. ff. ſi cert. pet. Hieron. de Mont. tr. de fin. regund. c. 59. num. 10.* quia (*ut ſuperiùs dictum*) autoritas præfertur multitudini, & potius probat quam centum ribaldi (id eſt, viles) *Barb. in c. ex literis. n. 18.* quibus citra torturæ ſubjectionem, non creditur. *l. ob crimen. 21. §. ſi ea. ff. de Teſt. Matth. Stephan. in expl. Nov. 90. n. 4.* Verùm enim verò non tantùm in teſtimonio ferendo junioribus præferuntur, ſed etiam in delictis juniores ab ipſis ſenibus tanquam prudentioribus corrigi poſſunt *gloß. admittunt in l. ſancimus 22. C. de pœnis. l. un. C. de emend. propin.* quia hoc virtutis materiam ſuppeditat, & animi vitiis medetur: *Perez in C. d. t. n. 4.* niſi crimen ſit, domeſticam emendationem excedens, quod judici vindicandum committi debet. *Azo in Sum. apud. Cuj. 6. ob. 17. lit. H.*

TH. XXXVI. An verò Senex limites caſtigationis

33

excedens etiam injuriam facere poſſit videbimus? Et non videtur 1. Quia nunquam de iſtô præſumitur injuriam facere voluiſſe, utpote modeſtiore & moribus magis ad honeſtatem effictis. 2. Quod injuria non fiat niſi qvis προαίρεσιν injuriandi habeat *l. illud.3 §. 2. ff. de injur.* quæ calore iracundiæ accita adhuc ſine vitio eſt *l. 1. ff. ad SCt. Turpill.* ſi in verbis injurioſis conſiſtat *Menoch. conſ. 403. n. 10.* nec præjudicio aliquô gravi injuriatum oneret *l ſi non convicii. 5. C. de injur.* Sic etiam ebrius factus Senex cum neſciat quid agat *c. ſane 15. q. 1.* haut injuriâ afficit, quos criminatur aut verberat, furioſo enim ſimilis æſtimatur propter actiones furioſas quas ebrietas producit *c. venter. diſt. 35.* Ita ut Sobrius non ſolum bis puer verum etiam quando inebriatur, credendus ſit. *Lud. Gilh. arb. jud. crim. c. 2. t. 34. de inj. & fam. lib. n. 7.* Quæ pueritia tamen, niſi præceps ſit, aliis actionibus ejus non obſtat quo minus facere poſſit quæ velit. Hinc jure donat Senex *l. ſenectus. 16. C. de don. Pac. anal. ad C. eod.* cum ſola & per ſe ſenectus non ſit ſufficiens impedimentum, per quod donatio nullius momenti exiſtat *Gothof. in not. ejusd.* niſi iſte qui donare vult, delirare aut deſipere incepit *Perez ad C. d. t. n. 3. Azo in ſum. n. 4.* Veluti non minus ſenex etiam teſtamentum facere poteſt. *l. 3. C. qui teſt. fac.* quoniam annorum canities & ægritudo corporis ſinceritati mentis in teſtamenti factione obſtare non poteſt *l. 3. C. qui teſt. fac.* Naturali enim rationi conſentaneũ eſt ut morituro de bonis ſuis inter liberos & proximos diſponenti, facultas quæ iterũ haut redit, non auferatur *l. 1. C. de SS. Eccleſ.* Nam etſi liberi aut proximi jure Naturæ rem teſtamento relictam obtinere poſſint, judicio tamen parentis adminiſtratio iſta magis roborari videtur, ut in Noachidibus patet, quibus

teſta-

teſtamento ſcripto terrarum orbem parens diſtribuiſſe fertur *Wiß. diſp. 54. qui teſt. fac. poß. n. 9.*

Th. XXXVII. In tranſactione ſenum idem juris eſt quod in donatione vel teſtatione. Nam ſi morbus ad animum non tranſiit meritò iſtorum tranſactione ſtatur *l ſan. 27. C. de tranſact.* Quæ tamen ſi de alimentis ſit, rata aliter eſſe non poteſt, niſi præſente Prętore facta fuerit *l. 8. in pr. ff. h. t.* quoniã de alimentis teſtamento relictis tranſigere citra prætoriam autoritatem ob facilem tranſactionem in aliquid modicum *d. l. 8.* licitum non eſt. Cujus deindè Prætor pro ætate ejus, & valetudine qui tranſigit rationem habet, cùm aliàs cum juvene, aliàs cum ſene tranſigatur, neceſſe eſt quoniam alimenta vitâ finiuntur *d. l 8. § 10. ff de tranſact.*

Th. XXXIIX. An verò quo ad beneficia in litibus obtinenda ſenes etiam inter miſerabiles perſonas reputandi ſint, variè à multis dubitatum fuit *per l. unic. C. quand. Imper. inter pupill.* Sed cum d. l. de viduis, pupillis, debilibus, & morbo maximè fatigatis, non verò de Senibus qui fortunę injuriâ miſerabiles dici nullo modò poſſunt *Pac. in anal. ad C. eod. n. 4.* loquatur, in opinione tandem negantium plurimi ſubſtitêre. Quod etiam Senatus Pedemontan. *deciſ. Cacheran. 123. in pr. teſte Vincent. de Franchis deciſ. 608.* approbavit, & nos amplexi ſumus.

Th. XXXIX. Interdum tamen quoad ſtatum virium licet adhuc robuſtæ ſint, expedit magis à Sene quam à juniore manu mitti *l. 15. ff. de fidecomm. libert.* Rationem putamus quod Senes præſumtione juris brevius ſpatium, quam juniores tranſcurrendum habeant, *Gloſſ. Ulpianus ad l. hæreditatum ibid. ff. ad L. Falcid.* ſpeque iſtius contractioris viæ operarum præſtandarum compendium fieri poſſe à manu mittendis credatur.

332

TH. XL. Quando verò vitæ ſpatium protrahitur, ita ut duris laboribus amplius ſupereſſe non poſſit, cum huic ætati nihil optatius accidere poſſit quiete *Propert. eleg. 26. lib. 2.* jura excuſationem à muneribus conceſsêre *§. item major J. de excuſ. tut.* quam ſeptuâgeſimus annus porrigit, ſed confeciſſe non affeciſſe requiritur *l. excuſantur 2. pr. ff. de excuſ. tut. Hahn. in not. pract. ad Wiſen. eod. p. 324.* ita ut ſupremo die anni 70. ad munera vocatus non excuſetur *l. 3. de jur. immunt.* niſi iſtum diem impleverit majorque ſit ſeptuagenario *Cuj. de excuſ p. 185. lit. a.*

TH. XLI. Quod tamen in Decurionatu ubi minori ſpatio liberari ab ipſo poſſunt, non obſervatur *l. qui ad, 2. §. 8. ff. de Decurion.* Rationem quod citius homines ab honoribus quam muneribus liberentur, putat Cujac. d. l. diverſam iſtorum munerum qualitatem, dum ſe huic honores *l. 14. ff. de muner. & honor.* quibus haut facilè ſe homines retrahant, illis maxima onera ſine aliquo honoris redhoſtimento *d. l. 14. §. 1.* quibus ægerrimè ſe implicent, conjuncti ſunt. Et hoc maximè verum eſſe videtur. Legem autem quod concernit. *3. C. qui ætat. vel profeſſ. l. 10.* quæ probare videtur perſonalia munera quinquageſimo quinto declinari poſſe, non contrariari certum eſt, ſi cum Wiſs. dicamus incuriâ typothetæ erratum, cum iſtud connexionis verba ſatis demonſtrant. *cum itaque ſeptuagenario majorem te eſſe profitearis.* Quod etiam Gottofred. *in not.* item Perez. *in Prælect. C. eod. v. 1. monent,*

TH. XLII. Sub decurionatum poterit etiam referri miles quem ultra quinquageſimũ annum lex non amplius cogit. *Senec. de brevit. vit. c. 2.* cum onera ferre quæ

bellum

bellum requirit, haut valeat. Etſi adhuc animum bellandi gerens, non removeatur, uti in Cic. *orat. 18. pro Rabir.* de M. Æmilio Scauro & Q. Scævolâ legimus, quibus fracta membra animum nondum abſtulerant fortius agendi. Quod tamen Ovidium non moviſſe videtur, quin caneret:

Turpe Senex miles turpe ſenilis amor.

At uti belligerando olim ultra tempus non cogebantur, ſed bona gratia bonis & privilegiis aucti dimittebantur, ita hodiè iſta miſſio non ulterius nobis cognita eſt, utpote Reipublic. maximè damnoſa, ſi iis quos viginti annorum ſtipendio aluerit, agros & inſtrumenta ruſtica in pretium præſtitæ militiæ adſignare deberet: quemadmodum nec ſacramento, quamdiu pro Reip. commodo vigilare poſſunt, ſolvuntur. Quod etiam quo ad excuſationem ſenum olim obtinuiſſe videtur, cum ipſis pro arbitrio officiis ſe abdicare non ſemper integrum erat *c. literas. denunciat.* & quidem 1. Si florem juventæ ſenex intus retinuerat. *ut Valer. Maxim. lib. 8. loquitur*, quemadmodum de Laterculenſibus & Memorialibus quibus adhuc vegeta erat Senectus Perez *in Orat. C. de prox. ſac. ſcrin.* etiam recenſet, ne ſub ſpecie ſenectutis contra conſtitutum (ſi iſte ſe officio non ſubtrahat aliusque econtrariò ſe in illud ingerat) præpoſitorum numerus ſacris ſcriniis adaugeatur. 2. Decurionatui ſi ultro quis ſe obtulerat *l. 1. Cod. de iis qui ſpont. mun.* ſuſcip. *lib. 10. t. 43.* Quod verò ſi certâ lege, & pacto ſervandæ immunitatis, vel partem ejus honoris agnoverit *d. l. fin.* (quam conditionem in ingreſſu curiæ ſervari oportere, valdè neceſſarium eſſe *Cujac. in comment. ad Cod. eod. tit.* notat, ne deinde ad corporalia cogatur *l. ſemper 5. §. 13. de jure*

jure immun.) non obtinet. Uti in aliis honoribus Municipalibus obſervatur. *l. 2. ff. de jure immunit. l. 2. Cod. de iis qui ſpont. mun ſuſcip.* cum ab his ſenes liberati ſint *l. 8. C. de his qui non impl. ſtip.* Attamen duabus vicibus iterum videtur limitari. 1. Si in ſenectute locuples factus, & nullo munere publico antea functus fuerit *l. ſemper. 5. ff. de jur. immun.* 2. Si nullum munus civile delato honori conjunctum reperiatur *l. ſextum decimum 2. §. 1. l. in honorib. ff. de vac. & excuſ. mun.*

Th. XLIII. Et hæc de excuſatione munerum ob infirmitatem corporis, eandem rationem videtur habuiſſe Lex Papia quæ ſexagenariis fibulam inducendis uxoribus imponebat, quod vis generandi eô tempore expirâſſe crederetur *l. ſi paterfamilias. 15. §. 2 ff. de adopt. Cuj. de præſc. c. 33.* Sed cum compertum ſit etiam iſtâ ætate partum produci, à Juſtin. *per l. ſancimus 27. C. de Nupt.* Lex Papia Poppæa tanquam experientiæ contraiens prorſus ſublata eſt. Cæterùm an ſenectus ſit infirmitas & morbus ut ea à plurimis & haut vulgaris notæ viris ita dicitur, videri poterit apud *Lud. Gilh. arb. judic. c. 4. p. 7. de præſumt. §. 150.* ad quem curioſum lectorem ablegamus.

Th. XLIV. Diſcuſſis igitur iſtis quæ ſenectuti propria fuêre, altera jam ætatis hujus pars ſe exhibet, ſenectute longè difficilior & moleſtior. Decrepitas ob creperum & dubium vitæ ſtatum *à Nonnio Marcell. c. 1. §. 45.* vel ut Iſidor. *orig. lib. 10. etymol. ſub lit. D.* vult, exinde, quod morti ſit proprior, & quaſi mortis tenebras crepet, dicta. Nam maximè difficilis eſt, cum hominem omni officio peragendo ineptum reddat, adeò ut nec ſibi, nec alii proficere amplius poſſit. Hinc etiam meritò inter miſerabiles perſonas decrepiti iſti ſenes, in judiiciis propter

per fortunæ injuriam quam perferunt, recenſentur, *Azo in ſumm. Cod. quand. imp. pupill. n. 6. Jul. Pac. in anal. C. eod. n. 4. Myſ. ſ. l. Gall. 2. ob. 1. n. 49. Belluga in ſpecul. Princip. Rub. 30. verſ. ſed penenum. 10.* ope enim alterius jam egent, nec eſt hæc ætas tàm beata, quàm ubi optimorum conſiliorum fructum in eô percipiebat, quod optimè ad exitum conſilia perducta fuiſſent. *Cic. de conſol.* Ut igitur Decrepiti miſerabiles ſunt; ita quoque ipſis infirmitas verius quam aliis ex his à JCtis adſcribitur. *Lud. Gilb. arb. jud. c. 4. p. 7. de præſumt.* §. *150.* cum talem ætatem nihil aliud comitetur, aut comitari poſſit quam catharri, oculorum mentisque caligatio. Quod etiam Menander implicatioribus tamen verbis intellexiſſe videtur, cum ita dixit:

φοβῶ τι γῆρας, οὐκ ἔρχεται μόνον.

Et in tantum verum creditur, ut teſtib. id probare non ſit op9, nam ex ſenectutis maximè devexæ cognitione, præſumtiones juris de imbecillitate ejus continuò reſultant *Gothof. in not. ad l. 122. ff. de legat. 1.* Quoniam autem morbi iſti, non tam corpus quam animũ graviter afficiunt, Prudentia quæ iſtos olim commendabiles faciebat, diſparet. Conſilia eorum fiunt cruda, & olent puerilitatem, adeò ut inter hos decrepitos ſenes & infantes nil ferè amplius intereſſe videatur, quam corporis aliqua grandior & perfectior moles, cum in reliquis conveniant. Nam itidem ut in pueris ſenectus morum invenitur, innocentia infantum reperitur in his extremè ſenibus, non minus ignorantibus, quid agatur quam pueri *l. 1. verſ. impub. C. de faſſ. mon.*

Th. XLV. An verò propter hanc imbecillitatem cum oneri amplius ſubeſſe non poſſint, pro virili tamen ſubfuerint, titulo permittendæ quietis removeri debe-

G ant

ant diſputari poſſit? Nos diſtinguimus, aut enim officium magis propter dignitatem, quam onus datum eſt, (veluti eſt dignitas Conſiliariatûs, quæ alias ſuâ naturâ perpetua eſt) & removeri non debent *Alciat. reg. 3. 3 præſumt. 19. n. 7. verſ. puto Joſ. Nold. de privileg. conſil. c. 33. n. 40. & 41.* (cum umbra eorum adhuc condecoret Dominum *arg. c. 1. X. de renunciat.*) aut officium magis propter onus datum eſt & tunc removeri poſſunt perpensa tamen abdicandorum quam in officiis præſtiterunt ſedulitate & fidelitate, ne ingratorum titulum deponens incurrat, quaſi beneficia ſumere ſciat, reddere neſciat.

Th. XLVI. Quemadmodum autèm ingraveſcens ætas Decrepitos ſenes officio inutiles reddit, ita etiam ipſis in contractibus invitis gratiam delictorum aliquatenus fieri facit, ſi prorſus pueraſcerint; cum uti ſenſus deeſt, culpa abſit neceſſariò ſequatur *l. infans. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* Idem eſt quod in torturâ ob vires deficientes jura iſtis ſubveniant, àque fidicularum admotione abſolvant. *l. ſi quis q; 3. §. ignoſcitur. ff. ad SCt. Syllan. Mascard. de probat. vol. 3. n. 5. Lud. Gilh. arb. jud crim. c. 6. n. 7. de quæſt. & tort. ſect. 1. n. 5.* Etſi terreri eos aliquatenus Dd. permittant. Quod tamen parum perficere videtur cum nil probat, nec ei in, & contra quem facta fuit confeſſio, præjudicet. *Maſcard. de prob. vol. 3. n. 5.*

Th. XLVII. Agmen nunc claudat Decrepitorum Senum conjugium, quod quò longius à finibus matrimonii conſequendis recedit, eo proclivius à matrimonio contrahendo tales abſterrere debet. *Barbos. ad l. 10. part. 1. n. 94. inff. ſol. matr.* Nam omni vi exuti, parum commodè huic operi præeſſe, nedum ſufficere poterunt,

runt,

runt, quoniam hoc juniorum, non jamjam morienti-um ſenium officium ſit, qui aliàs propter virium defe-ctum capulares ſunt, animamque in primoribus labris verſantem habent, velut hoc Barthol. Bolla cujus Chri-ſtoph. Beſold. *Pol. lib. 1. c. 10. § 3. n. 28.* meminit, verſibus quibusdam, quos duobus Senibus centum & triginta annorum in nuptiale gaudium conſcripſit, ſvaviter expreſſit, quos, ſis ibi vide, Nos abrumpimus.

F I N I S.

Clariſſimo Viro

TOBIÆ EMANUELI ADAMI,

J. U. Doctorando eximio

GOTTFRIDUS ZAPFFIUS. P. P.

S. D.

N*Ec aliter, quin tibi quoque,* Amicorum ſvaviſſime, *inſignique, quâ polles, jurium ſcientiæ, præſentes honores decerneret, Themis juſtiſſima potuit. Quem enim ceu filium obſervantiſſimum ab indefeſſo ejus cultu non blandiens otium unquàm avocavit, non juvenilis illecebra abduxit, non flagitantis rei domeſticæ ſtudium abſtraxit, non ipſa tandem acerbior, quæ unum ab hinc biennium fideliſſimâ tua te orbum reddiait*

*parente, calamitas abripuit, ut hinc indotatus dimittē-
reris, quî, quæſo, tandem fieret? Age ergò, manuque
audaciori, quæ tibi nunc offeruntur, præmia capeſſe. Sunt
enim juſtiora longè, quàm quibus bonus quis invidere
queat. Me quidem, ne dicam non invidere, non tàm
gaudere, quàm plaudere & ſaltim non tripudiari ſcito.
Ex iis enim, quos olim ad invidam firmâ neceſſitudine
tecum mihi junxeram, unicus, qui ejus innocentiam ac
dignitatem ſummis probares honoribus, ſuperfuiſti. Jam
verò, quod & mea & plerorumque tuorum vota tam-
diu contenderunt, multa cum laude præſtas. Vale au-
tem,* VIR CLARISSIME, *quæque amicitia no-
biſcum nata nobiſcum adolevit, ut eadem nobiſcum
conſeneſcat non niſi nobiſcum ac moriatur,
mecum anniti perge.*